Gramat 274

830

XXVI.
54.

Filol. 271

JANVÆ LINGVARUM novissimæ Clavis,

GRAMMATICA, LATINO-VERNACULA.

[In qua ubicunque Pædagogus asteriscum (*) videbit, monitum quæret in Annotationibus, ad calcem hîc adjunctis.]

I.

INTROITVS:

Grammatica *quid: partes ejus qvot.*

QVomodo de rebus quibusvis loquamur, vidisti: jam ut ipse quoque discas *rectè loqvi*, non usu vago, sed *arte*, videndum tibi est. (*)

2. Loqui, *est res cogitatas verbis proferre.*

[*LoqVela, Sermo, Oratio*, pro eodem hîc sumuntur.]

3. Rectè loqui, *est clarè, distinctè, intelligenter loqui.*

[Scopus igitur est *artificiosa Perspicuitas*.]

4. Arte benè loqui, *est omnium in Sermone rationem reddere posse.*

[Scopus igitur est, *loqVendi securitas*]

5. *Ars rectè loqvendi*, *GRAMMATICA dicitur.*

 [Quod

A Luca Piotrowski C. M.

(Quod *Literaturam* sonat. Olim enim usu discebant loqui; arte Literas tantùm, legere & scribere. Post loquendi etiam colligebantur Regulæ: relicto tamen nomine primitùs Arti indito.)

6. Grammaticæ munia tria sunt,

I. Partes, ex quibus Oratio texitur, rectè dignoscere.

II. Singulas illas rectè formare, seu struere.

III. Structas rectè, proferre quoque rectè, seu ore seu calamo.

7. Dignotio partium Orationis dicitur ETYMOLOGIA, structura, SYNTAXIS: prolatio legitima ORTOEPEIA: quam, dum fit ore, PROSODIAM, seu ORTHOTONIAM, vocant; dum scripto, ORTOGRAPHIAM. [*]

8. Prima pars erit *theoterica*, requisita Sermonis nosse docens: secunda & tertia *practica*, Sermonem facere docens. [*]

(NB. Etymologiæ summus finis est, *Sermonis plenitudo*: ut quid ad ejus integritatē requiratur intelligas. Syntaxeos summus finis, *Sermonis accuratio*: ut quicquid obvenit, construere scias. Orthotoniæ, & Orthographiæ, summus finis, *Sermonis perspicuitas*: ut omnia quæ Sermone efferuntur, inconfusa, clara, ultrò perceptibilia, sint.)

Prima Grammaticæ pars, ETYMOLOGIA.

[library stamp]

Ora-

Orationis partes qvid & qvot.

9. *Sermo humanus articulatus est.* (h. e. partibus quibusdam, sicut Manus digitis, & Digitus articulis, distinctus.)

10. Resolvitur enim omnis prolixior *Oratio in Segmenta*, seu [ut nunc loquimur] *Capita*; *Caput* rursum in *Periodos*; *Periodus* in *Sententias*; Sententia in *Phrases*; Phrasis in *Voces*; Vox in Syllabas; Syllaba in Literas.

(Exemplo sit *Januæ Linguarum Textus*: divisus in majora segmenta, seu *Capita, centum*; Caput primum in *Periodos* 14. Constatque Periodus prima *Sententiâ unâ*: sed Phrasi binâ 1. *Salve Lector.* 2. *Lector amice.* Quarum quæque constat Voce binâ; voxque prima rursum habet Syllabas duas, *Sal-ve*; Syllaba verò prior Literas tres, *S, A, L.* Ita resolvitur omnis Oratio.)

11. Septem ergò sunt Orationis partes; *Litera, Syllaba, Vox*; *Phrasis, Sententia, Periodus prolixiorque* aliquis *Orationis Contextus*. (*) Quas lustrabimus ordine singulas.

12. Sed *Nota*, quamlibet harum Orationis partium fore, *& Simplicem*, *& Compositam*, *& Contractam*. [Contractionemque hîc Grammaticis vocari, *Crasin*.]

III.

Orationis pars prima, Litera, *qvid & quotuplex.*

13. LITERA, est sonus oris humani minimus, & individuus.

14. Estq; (*)
- *Vocalis*, per se plenè sonans, ut A, E, I, O, U.
- *Semivocalis*, per se parùm sonans: ut L, M, N, R, S.
- *Muta*, seu *Consona*, per se nihil sonans: ut B. D. C. &c.

15. *Vocales* sunt.
1. *Simplices quinque*: A, E, I, O, U; [Nam Y non est vocalis sexta, sed Græcorum U: ut patet in Τυ *tu*; μῦς, mus; δύο, duo; κυβὸς, cubus &c.]
2. *Composita totidē*: Æ, EI, EU, OE, AU. (vocantur *Diphtongi*, *Bivocales*. (*)
3. *Contracta totidem*: â, ê, î, ô, û. [ut videre est in *Amârit*, *flêrit*, *dî*, *côgo*, *currûm*: pro *Amaverit*, seu *amaerit*, *fleverit*, *dij*, *coago*, *curruum*.]

[Obs. Germani Vocalib⁹ contractis carent: Bivocales verò habent plures. Quod cognosce in Vocib⁹, Sâge/ Waise/ Baum / Bäume: Saw/ Säwisch/ Bein / Zwey; Sie / König/ hüpsch.]

16. *Semivocales* sunt quinque, L, M, N, R, S.

17. *Consonæ sunt.*
- *Simplices*, B, C, D, F, G, P, T.
- *Composita* (duplices) seu *Biconsonæ*, (*) X & Z. [Valet enim X. es, vel gs; Z, ds. Scribimus enim loco *Necs* *Necis* (à *Neco*) *Nex*: & loco *Regs*, *Regis* (à *Rego*) *Rex*.]
- *quasi composita*, Jod & Vau. (*)

18. Literæ igitur Latinis sunt, connumeratis *Jod*, & *Vau* cōsonis, (*) viginti quinque: continentæ omnes (licet non solæ) hâc sententiolâ

tiolâ. *GAZOPHYLaKIUM SCIENTiaRum, FaXQVe Jam inDuBia.*

IV.

Orationis pars secunda, Syllaba, *qvid & qvotuplex.*

19. *SYLLABA, est sonus articulatus, unâ oris apertura prolatus.*

20. Estque
1. *Simplex*, cõstãs solâ Vocali, aut bivocali, aut Vocali & cõsona unâ:ur, E-æ.
2. *Composita*, constans Consonis pluribus, usque ad quinque: ut *Abs*, *pars*, *scobs*, *scrobs*, (*Germanis* novem etiam, ut Tschwetsch-ken.)
3. *Contracta*, ex duabus Syllabis facta: ut Nil, pro Nihil (Gwiß, pro Gewiß: cujusmodi crasis apud Germanos frequentissima; Bohemis vix nota.)

V.

Orationis pars tertia, Vox, *qvid*, & *quotuplex: ubi Vocum classes decem.*

21. *Vox, est sonus* [1] *articulatus* [2] *Significans* (3) *aliqvid*: ut Sol, Lucere &c.

[Sonus ergò nihil significans, tametsi articulatus, non est Vox: ut *Kror, Bost, Buhal, Sopant*/ neque Latinæ sunt Voces, neque Germanicæ, aut Slavonicæ: quia illorum auribus nihil significant.]

22. Distingvuntur ergò Voces, secundùm. (1) *Articulationem* (2) *Significationem* (3) *Res significatas.*

23. *Secundũ articulationẽ* Vox est(*)

I.
- Unisyllaba; ut *Fac.*
- Disyllaba; ut *Fa-cit.*
- Plurisyllaba, ut *Fa-ci-unt, Fa-ci-e-bant, &c.*

(N. Græcè *Monosyllabæ, disyllabæ, polysyllabæ*, dicuntur.)

II.
- Primitiva (primigenia): ut, *Facio.*
- Derivata: ut, *Factitius.*
- Dubia: ut, *Facies.* (Dubitatur enim utrum *Facies* descendat à *Facio*, *sicut Species* à *Specio*: vel aliunde.) (*)

III.
- *Simplex*: ut, *Ago.*
- *Composita*: ut, *Circum-ago.*
- *Contracta*: ut, [*Cógo*, ex *Co-ago.*]

24. *Secundũ significationẽ* Voces sunt.

- *Synonymæ*, seu *æquipollentes*, quæ sono diverso rem eandẽ significant: ut, *Gladius* & *Ensis*, *Sagitta* & *Telum* (Haupt ũd Kopff, Pferd ũd Roß) &c
- *Homonymæ*, seũ *ambiguæ*, quæ sono eodem res diversas significant: ut, *Ius* [1] justitiam [2] liquorem cibi cocti: Thor [1] portam [2] stultum &c.
- *Paronymæ*, seũ *assonantes*, quæ sono simili res dissimiles significant: ut, *Clava, Clavis, Clavus.* Hund/ Hand/ Hinde/ &c.

(Voces *Synonymæ* explicatæ sunt in Ianuæ Textu: *Homonymæ* & *Paronymæ* in Lexico.)

25. *Se-*

25. *Secundùm res significatas* Vox dividitur in classes decem (*)

26. *Significat enim Vox qualibet, aut rem quandam*: ut, *Homo, Eqvus, Mons &c.* Diciturque NOMEN: (vulgò Substantivum nomen.)

27. *Aut Modum quendam rei*: ut, *Bonus, Magnus, Sublimis* &c. Dicitur ADNOMEN: (vulgò *Adjectivum nomen.*)

28. *Aut Demonstrationem rei*; ut, *Ego, Tu, Iste* &c. Dicitur PRONOMEN (quasi *vicarium nomen.*)

29. *Aut rei Motum*, in agendo vel patiendo; ut, *Scribere*, vel *Scribi*. Dicitur VERBUM.

30. *Aut rem Agentem vel Patientem*: ut, *Scribens*, vel *Scripturus*, vel *Scribendus*. Dicitur PARTICIPIUM.

31. *Aut Motûs illius Modum*: ut *Citò, Benè* &c. Dicitur ADVERBIUM.

32. *Aut Rerũ & Actionum adinvicem respectũ aliqvem*; ut venit *A* me, *AD* te, *CONTRA* illum &c. Dicitur PRÆPOSITIO. (*)

33. *Aut Rerum & Actionum connexionem aliquam*: ut, *Quoniam, Ergo.* &c. Dicitur CONJUNCTIO.

34. Aut Vocum plurium abbreviationem quandam: ut, *Euge!* (i. e. *laudo factum.*) Dicitur INTERJECTIO.

35. Tandem sunt *particulæ affixivæ*, quæ licet per se nihil significent, Vocibus tamen alijs appensæ significationibus illarum aliqvid addunt.

addunt. Verbi gratia *cunque*, in vocibus, *Quicunque*, *Ubicunque*, *Quandocunque* &c. Dicuntur ADJECTIONES. (*)

36. Decem hæc Vocum genera vide simul in hoc dicto: *DEUS æternus, ipse-met à se & per se existens, CONDIDIT hunc, hem sapienter! MUNDUM.*

[Hic enim (1) Nomina sunt, *DEVS, MVNDVS*, (2) Adnomen. *Æternus* (3) Pronomina, *Ipse, se, Hunc*, (4) Verbum, *Condidit* (5) Adverbium, *Sapienter* (6) Participium, *Existens* (7) Præpositiones *A, Per*, (8) Conjunctio, *Et* (9) Interjectio *Hem*. (10) Adjectio, *Met*, in *Ipse-met*.](*)

37. Attende autem, inter omnes Voces primatum tenere *Nomen, & Verbum*, quia vel solæ Orationem constituere possunt; ut hîc patet, *DEUS CONDIDIT MUNDUM.*

[Ideoque dicuntur, per excellentiam, *partes Orationis significativæ*: reliquæ *consignificativæ*, quia primarijs illis ad sensum explendum duntaxat inserviunt.]

38. Observa etiam, *Nomina, Verba, Adnomina*, plurima esse, & quasi infinita, in qualibet Lingua: reliquarum Vocum certum esse numerum.

[Ex gr. *Pronomina* (cum *Pro-adnominibus*) sunt apud Latinos 20. *Adverbia* primitiva, vix 30; *Præpositiones*, 36; *Conjunctiones*, 28; *Interjectiones*, nondum 30; *Adjectiones* primariæ 15, ut suis locis videbis.]

VI.

NOMEN qvid, & qvotuplex.

39. *Nomen est vox, rem denotans*: sive unâ propriè, *ut Cicero, Roma, Tiberis, Italia*, sive

multas

multas communiter, ut *Homo, Urbs, Flumen, Regio.* Illud dicitur *Nomen proprium*; hoc, *Commune.*

[Observa. 1 Commune vulgò dicitur *Appellativum*, sed parùm aptè: nam proprio etiam appellamus,(*)

Obs. 2. Proprium nomen Viris Romani dabant, vel unum, ut *Romulus*; vel duo, ut *Numa Pompilius*; vel tria, ut *Marcus Tullius Cicero*. Et tùm primum vocabant *Prænomen*; secundum, *Nomen*; tertium, *Cognomen*; si accedebat quartum; *Agnomen.*

Obs. 3. Ad *Cognomen* referri potest nomen *Patronymicū*, quô aliquis à Patre vel matre denominatur: ut *Priamides, Æneades, Phyllirides* &c. h. e. *Priami, Æneæ, Phillyræ, filius.* Sic apud nos Jansohn/ Petersohn/Andersohn &c apud Russos, *Iwanowicz*, *Basilowicz*, &c. apud Polonos *woiewodicz*, i. e. *Palatinides*, Palatini filius &c]

VII.

ADNOMEN qvid, & qvotuplex.

40. *Adnomen est Vox modum Rei denotans*: ut qualis, aut quanta, aut unde, &c sit, intelligi possit.

[*NB. Bonus, malus, magnus*, &c dicuntur Voces *concretæ*; *Bonitas, malitia, magnitudo* &c *abstractæ*. (*Abstracta*, sunt Nomina; *concretæ*, Adnomina.]

41. Est a. Adnomen, (*)

- *Essentiæ seu certitudinis*: ut, Verus, Certus, Falsus, Fictus, Dubius &c.
- *Temporis*: Novus, Vetus, Hesternus, Annuus &c.
- *Loci*: Cujas? Italus, Romanus; Cœlestis, Terrestris, Montanus.
- *Numeri*: Quot? Tot, unus, Duo, Tres &c.

Partitionis: Quidam, Omnes; Pauci, Multi &c.
Qvantitatis: Quantus? Tantus; Magnus, Parvus; Longus, Crassus, Gravis &c.
Qvalitatis: Qualis? Talis, Bonus, Pulcher, Doctus &c.
Ordinis: Quotus? Primus, secundus &c. Ultimus.
Distributionis: Quoteni? Singuli, Bini, Terni, &c.
Complicationis: Quotuplex? Simplex, Duplex, &c.
Proportionis: Quotuplus? Simplus, Duplus, Triplus, &c.
Possessionis: Cujus? Regius, Paternus, Maternus, &c.
Comparationis: Par, Æqualis, Similis, &c.

42. *Notabis*, Adnomina quædam dici, & esse, *Interrogativa* (ut, *Qvot*? *Quantus*? *Qvalis*? &c.) alia *Redditiva*: (*Tot*, *Tantus*, *Talis* &c.)

43. Qvemadmodum *Nomen* quoddam est *proprium*, unius rei (§ 33): ita & Adnomina dantur, nonnisi uni rei competentia: ut, *Illunis* nox; *Limpidus* fons; *Meracum* vinum; *Obryzum* aurum; *Obstipum* caput; *Sudum* cœlum; *Limi* oculi, & si quæ alia. Cætera sunt *communia*, varijs rebus tribuenda.

PRO-

PRONOMEN qvid, & qvotuplex.

44. *Pronomen est vocula, sine Nomine rem denotans.* (ut Matth. XVI. 18. *EGO dico TIBI,* h. e. *CHRISTUS Petro.* CHRISTUS enim alloquitur Petrum.

[NB. Talibus voculis utimur, dum Nomen rei, de qua loquimur (1) aut nullum est, aut nobis ignotum, aut quia non succurrit: (2) vel quia rem præsentem sic brevius expedire possumus: (3) vel quia jam nominata est, Nomenque iterari foret tædiosum.]

45. Pronomina (Latina) sunt 20. (*) sic redacta in contextum: *QVID* hic? aut *QVIS?* *EGO, TU, IS*: *IPSE*, non alius; *quisque SUI* amans. *HIC*, præsens est; *ISTE*, remotior; *ILLE*, remotissimus. *SUUM* cuique pulchrũ: *MEUM* mihi, *TUUM* tibi, *SUUM* sibi; *NOSTRUM* nobis, *VESTRUM* vobis. (*CUJAS* est, *QVI* adstat? *NOSTRAS* an *VESTRAS*?

[Addunt alij, *VTER, ALTER, NEVTER, VNVS, VLLVS, NVLLVS, SOLVS, ALIQVIS, RELIQVVS &c.*]

46. Ex usu dividũtur in classes sex. Sunt enim

Pronomina.
1. *Interrogativa*: Quis? (Wer) Quid? (was) Quis, quæ, qvod? [Welcher]
2. *Demonstrativa*: Ego, Tu, Ille, Iste, Hic, Ipse.
3. *Relativa*, ad prius dictum se referentia: Is, Qui.
4. *Reciproca* (ad eandem personam sensum reflectentia): SUI, se, sibi.

5. *Posse-*

5. *Possessiva*: Meus, Tuus, Suus, Noster, Vester.
6. *Gentilia* (gentem, patriam, sectam, significantia:) ut, *Cujas* est? *Nostrâs*, *Vestrâs*.

47. *Composita Pronomina* sunt; Egomet, Tumet, Ego-ipse, Tuipse, Isipse: Ille-ego, Isipsus, Idem, Quisquis &c.

48. *Contracta* sunt, *Illic*, & *Isthic*. (ex *Ille* & *Hic*: *Iste* & *Hic*.)

IX.

VERBUM qvid, & qvotuplex.

49. *Verbum est Vox, aliqvid Esse, aut Agere, aut Pati, denotans.* (*)

50. Triplex igitur
- Essentiale, seu SUBSTANTIVUM: (wesentlich) ut, *Esse*, *Durare*, (i.e. adhuc esse) *Manere* (alicubi esse) *Humere* (humidum esse) &c.
- ACTIVUM (würcklich) ut, *Facere* (in esse producere) *Continuare* (facere ut duret) *Tenere* (facere ut maneat) *Humectare* (facere ut sit humidũ) &c.
- PASSIVUM (Leydentlich) ut, *Fieri* (in esse produci) *Continuari*, *Teneri*, *Humectari*, &c.

51. Ver-

§1 Verbū *activum* iterum est duplex,

1. *Transitivo-activum*, cujus actio in aliud transit; ut, *Humectare terrā*. [Ideò enim apponi necesse est Accusativum, ut in quam rem actio transeat videri possit.] Dicitur (per excellentiam,) *ACTIVUM*.

2. *Intransitivo-activum*, quod actionem in ipso agente manentem significat: ut, *Fluere*. (Aqua enim dum fluit, seipsam volvit, non aliud.) Vulgò dicitur Verbū *ABSOLUTUM*: neq; NEUTRUM (*) [Cui Nomen patientis apponi nec opus est, nec potest: quia nullum est. Nec enim dicere possum, *Fluo terram*, vel *Aquam*.]

§2. *Passivum* itidem est,

1. *Transitivo-passivum*, quod passionē aliunde venientem significat; ut, *Humectari à pluvia*. [Ideò enim apponi solet nomen agentis, in Ablativo, ut unde passio veniat, videri possit.] Vulgò per excellentiā dicitur *PASSIVUM*.

2. *Intransitivo-passivum*, quod passionem ab ipso patiente venientem significat; ut, *Humescere*, *Arescere*, *Pinguescere* &c. (Vulgò *Neutrale-passivum* vocant.)

X.

PARTICIPIUM, *quid, & quotuplex.*

53. *Participium est Vox, actionem cum suo agente, aut passionem cum suo patiente, denotans.* (Sive: *Est Verbum in Adnomen mutatum.* Ut cùm ex *Amo*, fit *Amans*, *Amandus*; *Amatus*, *Amaturus*.)

54. Est itaq;
- *Activum* atque id actionis
  - præsentis: *Amans*, qui amat; der Liebende,
  - futuræ: *Amaturus*, qui amabit, der lieben wollende (oder sollende) der zu lieben gesonnene.
- *Passivum* atque id passionis
  - præteritæ: *Amatus*, quem amaverunt, der geliebete.
  - futuræ: *Amandus*, amari dignus; der zu lieben ist/ Liebens werth.

(Germani habent duo tantùm Participia formata, *activum præsens*, der Liebende; *& passivum præteritum*, der Geliebte: reliqua duo circumscribunt, ut vides.)

55. NB. Si quando Participium temporis significationem amittit, desinit esse participium, fitque Adnomen: ut, *Sapiens*, *Doctus* &c.

XI.

ADVERBIUM qvid, & qvotuplex.

56. *Adverbium est Vox, aliquem essentiæ, aut actionis, aut passionis, modum denotans.* [Semperitaque refertur ad Verbum: paucissima quæpam Nomini junguntur, vel Adnomini; ut *Valdè* puer, *Nimis* parvus &c.

in-

57 *Adverbium* est varium, Dicitur enim Adverbium

interrogandi: AN? NUM?
optandi: UTINAM!
affirmandi: ITA, SIC, Omninò.
negandi: NON, HAUD, Neutiquam
dubitandi: VIX, Ægrè, Forsan.
demonstrandi: EN, ECCE!
jurandi: Profectò, Amen.
hortandi: EIA, Age, Agedum
prohibendi: NE, Nequaquam.
permittendi: Vel (gottgeb)
temporis: QVANDO? NUNC, Hodie, CRAS, DIU, SEMPER,
loci: UBI? Hic, Illic, Ibi &c.
VNDE? hinc, illinc, inde,
Quà? Hàc, Illàc, Eà &c.
Qvò? Huc, illuc, eò. Quorsum.
numeri: Qvoties? Toties, SEMEL, BIS, TER. &c.
quantitatis: Quantopere? Valde NIMIS, Tantùm.
qualitatis: Qualiter? Benè, malè &c
ordinis: Primò, secundò, ultimò.
distributionis: Sigillatim, cōbinatim.
proportionis: Bifariam, Trifariam, Multifariam.
congregandi: SIMUL, Junctim, unà.
segregandi: Seorsim, privatim, secretò &c.
comparādi: CEU, UT, quasi &c.
admirādi: Quàm, Quomodo wie sehr

58. Vi-

58. Videsne *pauca esse primitiva*? (AN, *NUM*, & cætera majusculis scripta, 26: reliqua formantur aliunde.

59. Dantur etiam Adverbia composita: ut, *Vbiubi, Quoquò, Postea, Quaqvaversus, Sic-ut &c.*

XII.

PRÆPOSITIO *qvid, & qvotuplex.*

60. *Præpositio est vocula, quæ Nomini aut Verbo præjuncta respectum aliquem, aut circumstantiam, denotat: ut, A* me: *Ad* te, *Per* illum, *Transijt* &c.

[*Sunt* sanè Linguæ, quæ voculas ejusmodi non præponunt, sed postponunt; ut *Hungarica & Finnica*, ex Europæis: denominatio tamen fit à majori, quia cæteræ nostræ easdem plerunque *præponunt*; exceptis *Germanis, qui præponunt & postponunt.* Dicimus enim Auf den Berg; & den Berg auf; Auf Steigen/ & Steig auf.]

61. *Præpositiones Latinæ reperiuntur* 50. [Germanicæ verò 45:] quarum quædam junguntur solis *Nominibus*, quædam solis *Verbis*, reliquæ *Nominibus & Verbis* (*)

62. *Solis Nominibus* præjunguntur 23: *Absque, Sine; Apud, Penes, Coram, Clam, Palam; Cis, Citra, Vltra: Erga, Versus, Adversus, Tenus; Infra, Supra, Subtus; Juxta, Secus; Prope, Procul, Propter, Pene.* Dicimus enim *Absque* homine, *Apud* hominem &c.

[Talium apud Germanos sunt 11. tantùm; Halben/ Nah/ Nehst/ Ob/ Ohn/ Sampt/ Seit/ Sonder/ Von/ Wegen/ Wieder] Dicuntur NOMINALES.

63. *Verbis* solis præjunguntur 5: *Amb, Dis, Re, Se, Sus.* (Dicimus enim *Amb-uro, Dis-pono, Re-pono, Se pono, Sus-pendo.*)

[*Tales* sunt Germanis 12. Ab/ Ant/ Be/ Ein/ Ent/ Er/ Ge/ Miß/ Un/ Ver/ Weg/ Zer: Ex. gr. Abführen/ Entführen/ Bezahlen/ Gelingen/ Mißlingen/ &c.]

Dicantur VERBALES (Vulgò (*INSEPARABILES* vocant.)

64. *Nominib9 & Verbis* cõmuniter præjunguntur 22. *Ab,* (A) *Ad. Ante, Cum* (*Con*) *Circum, Contra, De, Ex* (E) *Extra, In, Inter, Intra, Ob. Per, Post, Præ, Præter, Pro, Sub, Subter, Super. Trans.*

[Germanis sunt totidem; An/ Auf/ Auß/ Bey/ Durch/ Empor/ Für/ (seu Vor) Gegen/ Hinter/ Hin/ In/ Mit/ Nach/ Neben/ Nieder/ Oben/ Umb/ Unter/ über/ Wieder/ Zwischen/ Zu. Dicimus enim *Ab urbe,* & *Ab-ire, Trans flumen Trans-ire* &c.) Dicantur ergò *COMMUNES.*

65. Observa, Præpositiones Nomini præjunctas manere voculas separatas (*Ad* hominẽ, *Pro* homine &c.) cum Verbis autem coalescere in Vocẽ unã cõpositã (*Advenire, Proferre &c*)

66. Sunt autem pleræque Præpositiones suæ originis, paucissimæ derivatæ, (ut, *Citra*, à Cis; *Subtus*, à *Sub* &c.)

67. Dantur & compositæ Præpositiones: ut *Absque, Adversus, Circumcirca* &c. (Sic Germanicè: Be-neben / Bey-nahe / Gegen-über / zu vor, & aliæ plurimæ.)

XIII.

CONJUNCTIO qvid, & qvotuplex.

68. *Conjunctiones sunt voculæ, Verbum Verbo & Sententiam sententiæ annectentes*; idque modis sexdecim. Nam

69. *Sententia sententiæ* (aut Vox voci jungitur,)

- interrogando aliquid de pluribus; ut, Egò *NE* veniam, *AN* ille? — 1. Interrogativæ.
- respondendo; idque
  - *affirmativè*, affirmando
    - *utrumque*: ut, *Veni tu ET ille.* — 2. Copulativæ.
    - alterutrū: *Veni tu, AVT ille.* — 3. Disjunctivæ (*Alternativæ*)
    - alterū duntaxat: *QVAM VIS ille absit, Veni TAMEN tu.* — 4. Concessivæ.
  - *negativè* negando.
    - utrumque: *NEC te volo, NEC illum.* — 5. Rejectivæ (*Negativæ*)
    - alterutrum: *Non te volo, SED illum.* — 6. Adversativæ.
    - alterum duntaxat: *Te malo, QVAM illum.* — 7. Comparativæ. (*Electivæ, discretivæ.*)
  - *mixtè*: Nempe affirmando aliquid aut negando,
    - *Cum*
      - conditione: *Veni SI vacat.* — 8. Conditionales.
      - exceptione: *Veni te, PRÆTER QVAM ille.* — 9 Exceptivæ.
      - restrictione: *Veni te, QVA amici.* — 10. Restrictivæ.
    - *Per*
      - alienā notificationē: *Dicunt QVOD non sis venturus.* — 11. Notificativæ.
      - relationē ad aliqd jam dictū: *Veni tu QVEM rogavi.* — 12 Relativæ.
      - ordinis indicationē: *Veni primò tu, DEINDE ille.* — 13. Ordinativæ. (*continuativæ.*)
    - *Ad ostendendum*
      - causā finalē: *Veni, VT me juves.* — 14 Finales.
      - causam impulsivā: *Veni, QVONIAM opus est.* — 15. Causales.
      - cōsequens necessarium: *Opus est, ERGO veni.* — 16. Illativæ (*Rationales, conclusivæ.*)

Sunt ergò, & dicuntur, - - Conjunctiones.

70. Cōjunctiones primitivæ paucæ sunt, nōdum 30: pluresque sunt derivatæ & compositæ, ut, *Namq̄*, *Atq̄*, *Neq̄*, *Quamvis &c.* aut mutuatæ ab Adverbijs & Præpositionibus; *ut*, *Primò*, *Secundò*, *Postea &c.*

[Qvicquid enim ad connectendum Verba adhibetur, Conjunctionis vim habet.]

XIV.

INTERIECTIO qvid, & qvotuplex.

71. *Interjectio est vocula, quæ brevi exclamatione animi sensum prodit;* sæpeque vicem integræ sententiæ explet.

72. Est enim Interjectio,
- *Vocantis*: Heus! Ehodū (q. d. *Audi, sta.*)
- *respondentis*: Hem! (q. d. *qvid vis? audio.*)
- *admirantis, seu attoniti*: Papæ! Atat! Hem!
- *approbātis*: Euge! (q. d. *laudo factum.*)
- *Contemnentis*: Bombax! (*q. d. tanti te facio.*)
- *abominantis, seu fastidientis*: Phui! Apage! (q d *Pudeat: turpe est qvod agis.*)
- *blādientis*: Sodes! Sis! Amabo! (q. d. *rogo te*)
- *cōminātis*: Væ (q. d. *malū intolerabile imminet*)
- *pulsantis*: Tax, Tax.
- *silentiū indicentis*: St! Pax! (q. d. *Tacete omnes*)
- *dolētis*: Heu! Eheu! Proh! (q. d. *dolēdū meritò*)
- *ridentis*: Hahahe! (q. d. *risu digna res*)
- *irridentis*: Hui! Vah! (q d. *res irrisione digna.*)

73. Sunt igitur Interjectiones (Latinæ) nondū triginta: in contextum (memoriæ causâ) sic relatæ. [*Heus* tu, Paule! *Hem* quis me vocat? *Papæ*, túne eras? *Atat*, illum quoque! *Euge*: alioqui vapulasses. *Bombax*!

Ergò vapula, *Taxtax*, *Heu* mihi! *Proh* dolor! *Phui*, pudeat. *Vah te* ineptum! Ego jubilo, *Io! Evax!* Ego minitor, *Va* tibi! Ego rideo, *Hahahe* Cur, dic *sodes*. *St!* Præceptor adest.

74. Interjectionibus tamen annumerantur voculæ fictitiæ (*effutitias* vocant): ut, *gry*, *Taratantara*, *Tirili* &c. Mischmasch/ Pamperlepamp/ Ripsraps &c.

XV.

ADJECTIO qvid, & qvotuplex.

75. *Adjectio est vocula, quæ per se non significat, sed addita alteri*: qualium apud Latinos 15 reperiuntur, ALI, CE, CUNQUE, DAM, DEM, EC, MET, NAM, NE, PIAM, PTE, QVAM, QVE, TE, VE.

[Ecce enim solitariè sic prolatæ nullum habent sensum! habebunt, junctæ alijs. Ex. gr. *ALIquis hicCE ambulat! quiCVNQVE est, quidDAM ibiDEM qværit. ECquando venisti? IpseMET venisti, an jussus? quisNAM jussit? IlleNE? qvidPIAM est, qvod tuTE tuaPTE venisti: an alius quisQVAM tecum? ubiQVE reperiuntur VEsani quiDAM.*)

76. Adjectionibus annumerari possunt

(1) Verba *Vis* & *libet*, pro *cunque* usurpata: *Ubicunque*, *Ubivis*. *Ubilibet*.

(2.) *Vocum derivatarum terminationes*. (AX, IX, ILIS, ANUS &c. quas mox in *Syntaxi videbis*

(3) *Nominum & Verborum in declinandò & conjugando terminationes.* (*Terra*, *æ*, *am*, *â* &c. *Am-are*, *as*, *ant*, *atum*, &c. quas itidem in Syntataxi

taxi videbis.) Omnes enim illæ per ſe nihil ſignificant: adjectæ, multùm.

Monitum de Claſſibus Vocum.

77. *Monendus es, Voces quaſdam referri poſſe ad claſſes diverſas, pro diverſa ſignificatione & uſu.*

[Ex. gr. *Malum*, & nomen eſt, ein Apfel; & Adnomen, das Böſe; & Interjectionis loco adhibetur, *ſ* 91. zum unglück. Ita *CVM*, ad diverſas claſſes pertinet. Nam quando dicis, *Cùm Venero*, Adverbiũ eſt; *cum fratre*, Præpoſitio; *cùm hoc, tùm illud loquemur*, Conjunctio. Et ſic alia multa. Sicut & vernaculè, Wo/ pro Vbi, Adverbium eſt; Wo/ pro *Si*, Conjunctio, &c. Quod moneris, ne te confundat.]

XVI.

PHRASIS quid, & quotuplex.

78. Phraſis, eſt Vocum nexus, aliquid alicui apponens.

79. Eſtque
- *Simplex*, vocum duarum; ut, *Puer ingenioſus.*
- *cõpoſita*, vocũ triũ, vel pluriũ.
  - *Puer boni ingenij.*
  - *Puer bonô ingeniô.*
  - *Puer bonus ingeniô.*
  - *Puer qui valet ingeniô.*
  - *Puer cui bonũ eſt ingeniũ, &c.*
- *contracta*, Vocis unius: ſed quæ ſe in duas reſolvatur, *Peringenioſus*, i. e. valdè ingenioſus.

80. Contracta Phraſis eſt in omni Voce compoſita, omnique Participio, omnique Adnomine ſolitariè poſito. Quid enim eſt *Armi-ger*,

niſi

nisi *Arma gerens*? quid *Com-ponere*, nisi *cum aliis ponere*? quid *Amans*, nisi, *qui amat*? quid *Bona*, nisi *res bona*? &c.

[*In Ianua Phrases simplices* ubique occurrunt (quippe quæ nihil nisi *Vocum ligaturis*, perpetua est:) *compositæ raræ sunt* (quippe quæ elegantiam & idiotismos redolent, Atrio servandos: contractas tot invenies, quot Voces compositas, & Participia, & Adjectiva substantivè posita. Quod in Syntaxi moneberis.]

XVII.

SENTENTIA quid, & quotuplex.

81. *Sententia est Vocum nexus, aliquid de aliquo interrogans, affirmans vel negans.* (Ad Sententiam igitur minimùm requiritur *Nomen* & *Verbum*: ut sit, de quo aliquid quæratur, affirmetur aut negetur: & quod quærat, affirmet aut neget.

82. *Sententia est*
- *Simplex*, ubi unum de uno quæritur, affirmatur aut negatur. ut, *Hic vir estné doctus? Hic vir est doctus. Hic vir non est pius.*
- *composita*, ubi unum de pluribus, aut plura de uno, aut plura de pluribꝰ, dicuntur. Ut,
  Hic estné doctus an pius?
  Hic & ille, docti sunt.
  Hic est doctus, non verò pius.
- *contracta*, ubi duæ sententiæ in unam coalescũt; ut hæ duæ, *Est vir doctus, & est pius*, coalescũt in hanc unam, *Est piè doctus.*

83. *Compositæ sententiæ tot sunt species, quot Conjunctionum classes: nempe,*

1. *Interrogativa*; ubi de duobus qvid quæritur, ut *Doctumné quæritis an pium?*
2. *Copulativa*, ubi plura affirmantur: *Virum quærimus doctum, ET piū.*
3. *Disjunctiva*, ubi alterutrum affirmatur: *Virum quærimus doctum, AVT pium.*
4. *Concessiva*, ubi alterutrū conceditur, ut alterum affirmetur aut negetur: *Vir QVIDEM doctus, haud TAMEN pius est.*
5. *Rejectiva*, ubi utrumque negatur: *NEC doctus est, NEC pius.*
6. *Adversativa*, ubi aliquid affirmatur, aliquid negatur: *Doctus QVIDEM est, SED non est pius.*
7. *Comparativa*, ubi aliquid alteri præfertur: *Præstat esse piū, QVAM doctum.*
8. *Conditionalis*, ubi aliquid affirmatur (aut negatur) sub conditione: *Pius est, SI piè agit. Pius non est, NISI piè agit.*
9. *Restrictiva*, ubi aliquid affirmatur cum determinata parte, aut vi, quâ res talis est: *Docet, QVà doctus; ædificat, QVá pius.*
10. *Exceptiva*, ubi aliqvid affirmatur (aut negatur) cum exceptio-

ne: *Doctus est, PRÆTERQVAM in divinis.*

11. *Notificativa*, ubi aliquid affirmatur (aut negatur) testimonio aliquô: *QVOD sit impius, facta loqvuntur.*

12. *Relativa*, ubi quæ plura dicuntur, ad invicem referuntur: *Pius esse debet IS, QVI doctus est.*

13. *Continuativa*, (*Ordinativa*) ubi dictis alia subordinantur; *Sit* PRIMÒ *pius*, DEHINC *doctus*, TÙM *diligens &c.*

14. *Finalis*, ubi illius quod dictum est, finis ostenditur: *Sit doctus, UT alios docere sciat.*

15. *Causalis*, ubi illius quod dictum est, causa simul redditur: *Doctor sit doctus, QVIA indoctus docere non potest.*

16. *Illativa*, ubi ex eo quod dictum est, conclusio infertur: *Doctus est, ERGO doceat.*

84. Sententiæ Contractæ totidem sunt species: qvia quælibet composita contrahi rursum potest. (Ex. gr.) *Notificativa* illa, *Qvòd sit impius, facta loqvuntur*, contractè sic effertur; *Esse impium facta loqvuntur* &c. Verùm hæc disces in Syntaxi.)

XVIII.

PERIODUS qvid, & qvotuplex.

85. *Periodus, est Verborum in sententias contextorum plenus ambitus:* semper constans partibus duabus; quarum altera sensum aperit, altera claudit. Ut in illo Ciceronis: *Qvales in Republica Principes sunt, tales reliqui cives esse solent.*

86. Partes illæ vocantur, *Propositio* & *Redditio* (πρότασις, & ἀπόδοσις; Satz und Gegensatz.)

[NB. Ergô Sententia simplex, ut est in Ianua § *1.* & *70, 151, 155,* & similes, impropriè *Periodus*, h. e. ambitus, dicitur; cùm ibi nulla sit propositio, nulla redditio.]

87. Est autem *Periodus*
- *Simplex*, Unimembris.
- *composita*,
  - bimembris.
  - trimembris.
  - quadrimembris.
- *contracta*.

88. *Unimembrem* Periodũ absolvit Sententia una, sed cõposita. Ut Cic. *Qvoties dicimus, toties de nobis judicatur* [Hæc enim resolvit se in duas sententias (1) *Nos dicimus* (2) *alii de nobis judicant.* Propositionem autem & Redditionem faciunt voculæ istæ relativæ, *Qvoties, Toties.* Tales vide in Janua § 59, 116, 121. &c.]

89. *Bimembris* Periodus est, qûum uno mẽbrô absolvitur propositio, altero redditio. Ut, si extendere placeat Ciceronianum illud, novo attexto membro, sic: *Si, qvoties dicimus, toties de nobis judicatur: profectò ad dicendum temere nunquam erit veniendum.*

90. *Tri-*

90. *Trimembris* est, cùm uno membro absolvitur propositio, & duobus redditio; aut contra. Prioris exemplum esto. *Si quoties dicimus, toties de nobis judicatur: quoties igitur nobis dicendum est, toties omnia bene præmeditanda; & quoties dicimus, toties omnia circumspectè agenda sunt.* Posterioris exemplum (mutato paululum sensu membri primi:) *Si, quoties aliquid agimus, toties de nobis judicant homines; & quoties cogitamus aliquid, DEUS: profectò neque agendum est aliquid temerè, neque cogitandum.*

91. *Quadrimembris* Periodus propositionem absolvit membrô unô, & redditionem tribus: aut propositionem tribus, & redditionem unô: aut propositionem duobus, totidemque redditionem. Postremi sit Exemplum. *Si, quoties agimus aliquid, toties de nobis judicant homines; & quoties cogitamus, toties judicat DEUS: profectò & in conspectu hominū semper cavendæ sunt temerariæ actiones; & intra nos nihil cogitatione versandum, cujus nos pudere possit.*

92. *Contracta* Periodus est, quæ propositionem aut redditionem occultat; vel saltem obscurè innuit. Ut, *Regis ad exemplum totus cōponitur orbis* (i. e. *Qualis Rex, talis grex.*)

XIX.

ORATIO qvid, & quotuplex.

93. *Oratio, est verborum in sententias & periodos redactorum, plenus contextus.*

94. Est

94. Estque *primò, diffusa vel concisa*. Diffusa, quæ de re quapiam quicquid dici potest, dicere conatur: ut sunt pleraque Ciceronis.

95. *Concisa*, quæ tantùm necessaria loquitur. Ut fuit illud Cæsaris ad Senatum: VENI, VIDI, VICI.

[Illa dicitur Oratio *Asiatica*, hæc *Laconica*. Oratio Ianuæ mediocris est, rebus quantùm potuit adæquata.]

96. *Secundò*, Oratio est *humilis* vel *sublimis*. *Humilis*, cui rem propriè expressisse sufficit: ut, *DEUS non est pronus ad iram*.

[Qualiter omnia Ianuæ scripta sunt, ad simplicem rerum expressionem: exceptis paucissimis, de quibus infra moneberis.]

97. *Sublimis*, seu *grandis Oratio* est, quæ allegoricis expressionibus plus quiddam dicere videtur, quàm dicit. Ut in illo Valerij Maximi: *Tardè quidem ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatem tamen supplicii gravitate pensat.*

[Hîc *Ira DEI* producitur tanquam persona gressûs tardi: effectus autem iræ assimilatur supplicio gravi. Talia in Ianua LL. frustrà quæras: Atrio servata sunt.]

98. *Tertiò*, Oratio est *soluta* vel *ligata*. Soluta (seu prosa) quæ verbis liberè fluentibus utitur, ut; *Ingenium omnia vincit*.

99. *Ligata*, quæ verba ad Syllabarũ numerũ, mensuram, pondus, adstringit. ut: ōmnĭă cōnāndō dŏcĭlīs sōlērtĭă vīncīt.

[Ianuæ LL. oratio prosa est.]

Monitum de Partibus Orationis.

100. *Vidisti in quas partes, & partium partes, resolvat se Oratio.* [Sed notabis

dari

[Sed notabis tamen dari aliquando orationem unius segmenti, seu Capitis: ut est, *Epistola Judæ, & duæ posteriores Johannis.* Et caput unius Periodi: ut est in Janua Cap. LXIX. Et Periodum unius Sententiæ, ut Januæ § 1. Et Sententiam unius Phraseos, ut, *Vir esto.* Et Phrasin unius vocis, ut, *Sta* (i. e. sta animosè) Et Vocem unius Syllabæ, ut, *Sol*: & Syllabam unius Literæ, ut, I.)

Secunda Pars Grammaticæ, SYNTAXIS.

XX.

De Orationis per singulas partes *Structura*, seu *Formatutura*, ter trinâ ratione exhibenda.

101. Conspexisti Orationis, singularumq; ejus partium, differentias, seqvitur earundem *Structura*: quomodo nimirum singulæ formidæ sint, ut Sermo undique concinnus prodeat.

[Theoria fuit brevior, praxis erit prolixior: sed faciet artifices. Nota interim, *Syntaxin, Structuram, Formaturam*, eodem sensu hîc sumi.]

102. Ibimus ordine, facto rursum initio à minimis, *Literis.*

[*Literas* enim rectè formari necesse est, ut formari queant Syllabæ; & *Syllabas*, ut Voces; & *Voces*, ut Phrases; & *Phrases*, ut Sententiæ; & *Sententias*, ut Periodi; & Periodos, ut totam Orationem aptè concinnandi tradi qveant, rectèque intelligi, leges.]

103. Disces autem semper, quomodo Partes

tes Orationis formentur, *I. Simpliciter*, *II. Compositè*, *III. Contractè.*

104. Idque eâdem semper methodo: expandendo videlicet ob oculos, per tres columnas.

I. EXEMPLVM Latino-Vernaculè.	II. PRÆCEPTVM, seu Regulam.	III. EXERCITII materiam: al-

legationem puta Exemplorum plurium, quæ tu ipse in Januali Textu exquirendo præceptionum intellectum & usum firmabis

105. Ostendentur autem tibi ubique

I. Generalia, Lingvis communia.

II. Specialia, Latinis (vel alijs nobis) propria.

III. Specialissima, apud Latinos (& alios) à propria etiam analogia recedentia.

106. Generalia dabunt *Regulas* generales, specialia *Observationes* speciales, specialissima *Exceptiones*, seu *Anomalias*.

[Quæ ut facile dignoscas, Typo distingventur: majore, minore, minimo.]

XXI.

Literarum formatura.

107. Literas formare scis utique usu: sed disce jam, quâ divinâ in nobis arte formatio illa peragatur. [*]

108. Organon commune Literas formandi, sunt *Os* & *Lingva*: particularia verò *Guttur*, *Palatum*, *Dentes*, *Labia*, *Nares*. Nam,

109 *A, E, I, O, U.* fluunt ore libero, sono nusquam allidente; majore tãntùm aut minore Oris & Linguæ aperturâ: hinc vocantur *Vocales* Selbstlautende Buchstaben.

I. *Si ore maxime patulo & Lingvâ subsidente, sonum exhalas, erit* A: *si minus patulô, & Lingvâ paulùm assurgente,* E: *si Lingvâ in canaliculiformā semiplicatâ* I: *si Ore rotundato,* O: *si prorsus coarctato, labijsque exertis,* U.

110. *H, Ch, G, K,* seu *Q,* exhalantur gutture: Hinc dictæ *Gutturales*, Keel Buchstaben.

II. H *fit gutture patente, sono profunde exhalato:* Ch, *sono gutturi allisio, epiglottidéque se illi superimponente:* G, *gutture fortiùs contractô:* K. *omnium fortissimè.*

111. *L, R, J.* fiunt in medio palato: Hinc dicũtur *Palatinæ*, & Lingvales, Zung Buchstaben.

III. *Lingvâ palato supremè allisâ, fit* L: *lingvâ in ore tremulâ, sonumque crispante, fit* R: *lingvâ canaliculatâ, & opponente cuspidem sono,* Jod.

112. *D, T, S; C, Z & X,* eliduntur dentibus: hinc dictæ *Dentales*,

IV. D. *fit Lingvâ dentes molliter attingente, & mox resiliente:* T, *fortiùs:* S. *sono per cō-*
jun-

Non aliter Literas format (nec potest) ulla Natio aut Lingua: quia

Zahn Buchstaben.	*junctos dentes efflato:* C *eodem modo, sed dentibus violentius cõpressis:* Z, *sibilus est cũ præmisso* D; X, *sibilus cum* K.
113. V. B, P, T. elabuntur labijs: ideoque dictæ *Labiales.* Lefftzen Buchstaben (seu, Lefftzling.)	V. V *au fit Labijs lenissimè conjunctis:* B *firmius compressis, sed mox cedentibus:* P, *fortiùs etiam obstantibus, demumque post inflationem buccæ sonum dimittentibus:* F, *sonò per labia fortiter efflatò.*
114. *M*, & *N*, efflantur per nares: ideoque dicuntur *Narinæ*, Nasen Buchstaben.	VI. M, *efflatur per nares, labijs clausis:* N, *itidem per nares, sed labiis apertis.*

naturalia non mutantur.

XXII.
Syllabarum formatura.

115. *Pes*, *Æs*, *Fraus*, Hand/Aug	I. *Omnis Syllaba habet* Vocalem, *aut Bivocalem.*
St! etiam syllaba est: sicut Bo-	Obs. *Quibusdam Linguis etiã* Semivocalis *constitu-*

Exempla sunt

ſicut Bohemis
Mls/ prs/ &c.
& Germanis poſterior
in Haſ-pl/ dip-ſl
&c

116. *Do-mi-nus*, triſyllabum eſt, quia habet tres Vocales, *o, i, u.* Ita Car-fun-kl. Sr-deč-nj. &c.

117. *E-e*, biſyllabum eſt.

118. *E go* (non *Eg-o*) E-lend (nó El-end)

119. *Er-ro* (non *E-rro*, vel *Err-o* Sic Al-le (non All-e)

110. *Ai predo*, & *Aſt-rum*, potius quàm *As-pre-do*, *As-trum*.

ſtituere poteſt ſyllabam: ut Bohemis ſæpe, Germanis (Sveviâ dialecto) nonnunquam [*Vide Annot.*]

II. *Quot in una Voces* Vocales, *aut* Bivocales, *tot ſunt* Syllabæ.

Obſ. Bohemis & Germanis quandoq; Semivocalis ſine Vocali ponitur,

III. Vocalis, *aut* Bivocalis, *ubi ſola ſtat, ſola ſyllabam facit.*

IV. *Inter duas Vocales poſita* Conſona, *ad poſteriorem ſpectat.*

V. *Inter duas Vocales poſitarum Conſonarum duarum, prior ſpectat ad priorem, poſterior ad poſteriorem* (*)

VI. *Inter duas Vocales poſitarum Conſonarum trium, duæ referentur ad Vocalem illam, cum qua mollius ſonant.* (*)

obvia in omnibus Lingvis, ſuâ cuique conſvetudine.

XXIII.

Formatura VOCUM in genere: *componendo, derivando, flectendo.*

121. Vocum formatura in eo est, ut scias Voces (*1.*) *Componere.* (*2.*) *Derivare.* (*3.*) *Flectere.* Nam

(1) *Magnanimus* (Großmühtig) est vox composita è duabus.	Construitur *Vox* (1) *aut cum Voce alia, ut fiat* vox composita.	In Januæ periodo 1 vox composita nulla est, derivatæ omnes, inflexæque ad sensũ præsentẽ omnes.
(2) *Animosus* (Muthig) est vox derivata.	(2) *aut cum terminatione aliqva communi* (*ut hîc est* - osus) *ut fiat* vox derivata.	In § 2 compositæ occurrunt sex, derivata nulla, inflexæ omnes, excepto *Si, qvid,* &. Et sic alibi.
(3) *Anim-us-i-o-um* (der Muth/ des Muts/ dem Muthe &c.) est vox inflexa.	(3.) *aut cum terminatione sua propria, ut fiat* vox *eadem aliter* inflexa.	

[NB. *Compositio* & *Derivatio* Voces multiplicat, ut multitudini Rerum sufficiant: *Flexio* verò unamquamque earum inseipsa transformat, ut circumstantijs suis ipsa sufficiat. Ergò si derivandi, componendi, flectendique rationem tenueris, habebis fontem, unde omne Vocum artificium scaturit, apertum.]

122. Non omnis tamen Vox componi, aut derivari, aut flecti, patitur. Nam

(1) *Abies, Luteus, Ningere* &c. cum nulla alia Voce componũtur.	*Voces quædam* insociabiles *sunt, cõponi renuunt.* (N. Latinæ puta: Germanis nihil non componitur.)	Tales in Lexico videre est multas.
(2) *Alauda, Ambo, Vergere,* &c nihil ex se derivant.	*Multæ Voces* steriles *sunt, nihil ex se gignunt.*	Ostendit has Lexicon, solitariè stantes.
(3) *Utinam, Benè, Propter, Ergò* &c non flectuntur.	Nonnulæ Voculæ inflexiles, (*seu* invariabiles) *sunt.*	De his infra, suis locis.

123. Componendi & derivandi rationem (*in Nominibus, Adnominibus, Verbis*) disces Capitibus seqventibus.

[Observa tantùm hîc generaliter, qvòd Voces reperiantur compositæ ex voculis diversarum Lingvarum. Vt *Protonotarius* (ex Lat: *Notarius,* & Græco πρῶτος Primus, Primarius.) *Re-baptisare* [ex Latino *Re* iterum, & βαπτίζειν mergere,) Cujusmodi Voces *hybridas* vocant.]

124. Qvinque Vocum classes, NOMEN, PRONOMEN, ADNOMEN, VERBUM, & PARTICIPIUM) dicuntur flexiles, qvia variâ terminatione flecti possunt. ut Pater-ris-i-em &c. Nost-er,ri,ro-um: Cœlest-is,-is-i-em: Audi-t-it-et: Orant-em-es &c.

125. Fle-

125 *Flexio Vocum* in genere fit, per *Numeros, Genera, & Personas.* (*)

126. Vir loquitur (unus) der Mann redet (*dualis caret*) Viri loqvuntur (plures) die Männer reden	Numerus *est vel singularis, quô res una exprimitur: vel dualis, quô duæ: vel pluralis, quô plures.* (**)	Nulla Januæ § est, ubi exẽpla Numeri (jam singularis jam pluralis) non occurrant.

[** Ita est in antiquissimis linguis, Hebræa, Græca, Slavonica. Latini & Germani dualem amiserunt, etiam de duabus rebus pluraliter loqvuntur: Poloni cum Bohemis retinent dualem in iis rebus, quæ per naturam binæ sunt, ut Oculi, Manus, Pedes. Dicunt enim gedna Ruka/ Noha/ Oko (una manus, pes, oculus); dwě Ruce/ Noze/ Oči (duæ manus, pedes, oculi); tři Ruky/ Nohy/ Oka (tres manus, pedes, oculi &c.]

127. Vir loqvutus est, der Man hat geredet (Muž mluwil) Fœmina est loqvuta, die Fraw hat geredt (Žena mluwila) Animal loqvutum est, das Thier hat geredt (Zwjře mluwilo)	Genus *est triplex: Masculinum.* 2. *Fœmininum.* 3. *Neutrum.*	Exempla ubivis occurrunt.

128. *Ego Paulus* adsum, *Tu Petre* adesto, *Thomas* abest.	Personæ *sunt tres:* Prima, *qva loqvitur:* Secũda, *ad qvã loqvimur:* Tertia, *de qva loqvimur.*	Satis notũ.

XXIV.

Formatura NOMINUM, 130. *derivando*, 149. *componendo*, 154. *flectendo.*

129. Nomina primitiva Latinis supra mille sunt: derivatorum & compositorũ infinitus est numerus.

[*Latini & Slavi derivatis, Germani compositis, Graci utrisque, mirè abundant.*]

130. Derivata Nomina, veniunt aut à primitivis Nominibus, aut ab Adnominibus, aut à Verbis.

131. A Nominibus nascuntur alia Nomina octupliciter: dicunturque *Denominativa.*

[I] *Nomen diminutum*, quô res parvula exprimitur; ut *Culter, cultellus*; Messer-lein.

[NB. Quædam linguæ etiam habent Diminutis opposita, *Exaggerata*, quibus in exprimenda re indecenter vasta utuntur. Vt Poloni & Bohemi, Konisko/ Psysko/ Domisko/ Babsko &c. (Qualia & Italis esse scribit Angelus Monosinius Floris Italîci lib. 2.) Sed Germani cum Latinis talia ignorant.]

Observa.

132. Diminutá omnia (Latinis) desinunt in *-lus* masculinè, *la* fæmininè, *lum* neutrè: sed ad illud, *lus, la, lum*, non venitur eodem modo.

[NB. Germanorum Diminuta desinunt in -lein/ Büchlein/ Händlein/ (q. Buchelein/ extrito e): sed & e jam exteritur, Büchlin/ Händlin. Alij item per ichen/ Büchlichen/ Händiche. &c]

(1) Glob-

(1) Glob-*us-ulo*	*Et sic omnia desi-*	§ 51, 323.
Gleb-*a-ula.*	*nentia in simplex*-us,	32, 539.
Verb-*um ulū.*	*vel*- a, *vel*-um.	725.
(2) Calc-*eus-*		648.
eolus.	*Et sic omnia in*	§ 417.
Lin-*ea-eola.*	-eus-ea-eum : *vel*	747.
Baln-*eum, eolū.*	ius, ia-ium.	748.
Glad-*ius- iolus*		
&c.		
(3) Lib-*er-*	*Sic omnia in* er-	§ 104.
ellus.	ra-rum. *Exc.* Pa-	227.
Lib-*ra- ella,*	ter-culus-Frater-	798.
Rast-*rum, ellū.*	culus, Mater-cula.	
(4) Carb-*o-*	*Sic omnia in- O,*	§ 623.
unculus,	*&* -io, *terminata.*	851.
Car-*o-uncula*		923.
Lect-*io-iuncula*		
(5) Poët-*aster*	*Quæ per*-aster *di-*	§ 804.
Philosoph-*aster*	*minuunt, contemtū*	935.
	inferunt.	

(*Si* quæ diminuta aliter formantur, expressè in Lexico ponuntur.)

133. Observa insuper (de Nominibus diminutis) seqventia.

(1) Puer, puerulus, puellus, puellulus.	(1) *Diminuta quædā iterùm & tertiò diminuuntur: appellanturq;* Diminuta diminutorum.	§ 540. 623. 814.
Porc-us-ulus-ellus-ellulus.		
Cort-ex-iculus		

-icellus-icel-lulus &c.	(*Qualia Germani ignorant; Bohemi cum Italis frequenter usurpant.*)	
(2) hic Liber &-ellus. hæc Lib-ra & -ella. hoc Cor, corculum, &c ὁ παῖς, τὸ παιδίον der Knab/ das Knäblein: die Fraw/ das Fräwlein.	(2) *Nomen diminutum retinet genus primitivi sui.* (*Nempe apud Latinos, Italos, Bohemos &c. Sed apud Græcos fit sæpè, apud Germanos semper, generis neutri.*)	§ 88. 343. 376. 814
(3) *Exc.* Ran-a--unculus. Tere-bra-bellũ Convent-us-i-culum.	(3) *Paucula tamen apud Latinos quoque genus mutant.*	§ 729
(4) *Nomen, Semen, Gramen* &c non diminuuntur.	(4) *Quædam Nomina non reperiuntur diminuta: ut desinentia in* en. *Exc.* Pect-en un-culus.	(Exẽpla ergò desunt.)

134. Aliorum Denominativorum Nominum rationem ita accipe.

135. Na-*sus*, die Nase. Naso der Großnase. Caput der Kopf	[II] *A nomine Mẽbri incorporè formãt Latini nomen in* O, *significans eum qui*	Vide § 289.

Capito der großt kopf.	*tale membrum grãde habet.* (*Germani præmittunt* groß)	
136. Domin-*us, atus.* Princ-*eps, itatus.* Poten-s *tatus* &c. Herrschafft/ Gewaltschafft/ Fürstenthumb.	*III.* A Nominibus Statuum & *officiorum fit nomen in* atus (schafft/ *vel* thumb) *significans ipsam* dignitatem statûs.	§ 871. 873.
137. *Frater-nitas* Brůderschafft/ Civ-*is-itas* Bůrgerschafft Equitatus, Reiterey &c.	*IV. A Nominibus consociatarum personarum fit* Nomẽ collectivum, *ipsam conjunctionem, seu conjũctos, significãs, in*-itas, *vel* atus.	§ 10. 880 889. 959
138. Juda-*icus-ismus.* Judenthumb Pagan-*us-ismus,* Heydenthumb Christian-*us. ismus.* Christenthum.	*V.* A nominibus Sectarum *formatur abstractum in* -ismus. (*Ita dicere licet,* Pharisaismus, Essæismus, Arianismus. &c)	§ 919 & tit. XCV. XCVIII.
139. Vepr-*es-étum:*	*VI.* A nominibus Arborum *formans*	§ 120. 188, 142

Hecke/ gehecke. vel Dorn-busch Arbor *étum* Baum/ ge-Bäum/ (oder gehöltz/ Baum-wald) &c.	*Latini collectivum nomen in -étum, significans locum ubi abunde proveniunt.* (*Germ. præmisso* Ge- *aut subjuncto* Busch/ Wald *&c*)	266.
140. Gran-*um*-*arium*; Pom-*um*-*ariũ*; Pan *is*, *ariũ*, &c. Korne-hauß/ Obs-keller / Brodt-korb &c	*VII.* A nominibus Alimentorum *fit nomen in*-arium *ad designandum locum ubi asservātur.* (*Germ. addito*-behaltnüß. *Gaudent tamen specialiora addere*, Hauß/ Boden Korb/ Keller/ Garten. etc	§ 324. 349. 776(bis)
141. Sera *rius*. Schlo-sser Mur(*us*)*arius* Maur-er Rest(*is*)-*tarius* Seyl-er.	*VIII.* Nominib9 utensiliũ *additur*-arius, *ad significandum Opificem, qui talia efficit.* (*Germ.* *in* - er)	§ 398. 411 412, 415. 416. 417. 418, 419. 420, 421. &c.

*[Obs. Pauca quædam aliter: ut *Pileo, Pannifex*; (non *Pilearius, Pannarius.*) Ita Germ. Hutmacher/ Tuchmacher: non Hutter oder Tucher]

142. *Ita sunt* Nomina Denominativa: *ab* Adnomine *formatur* Nomen abstractũ.

Amar-

Amar-us *or.* Pauper-*tas.* Miser-*ia.* Dulc-is *edo.* Sals-us-*ûgo.* Pulch-er-*ritudo.* Sanct-us-*imonia.* Hoh höhe.	*Abstractum Nomen (formam separatam significans) desinit Latinè in* Or, *vel* tas, ia-ego ugo, itudo-imonia. (*Germanicè in* e heit-keit/vel uht	§ 259, 264. 509, 755.

Lang Lenge. Schön-heit. Heilig-keit. Arm-uth.

[NB. Peculiare Slavis est, à quolibet Adnomine vitium aut passionem significante, formare Nomen ejus qui tale qvid patitur, in ec, vel ít: ut Slep-ý-ec/ Newměl-ý-ec/ Zatracen-ý-ec; prchl-ý-ít/ bezbozn-y-ít/ & sic per omnia, qvod alijs inimitabile. Sed & in laudem, Wěen-ý-ec/ Spasen-ý-ec/ Pomazan-ý-ec &c.]

143. Seqvuntur *nomina Verbalia* (h.e. à Verbis formata) quinque generum.

144. Légere, *lectio,* Clamare, *clamor.* Ducere *ductus.* Colere, *cultus.* &c. Das Lesen/ vel die Les-ung. Item: Schrey-berey: Erkentnüß &c.	(*I*)Nomen actionis *ordinariè desinit in* io: *aliqvando tamen in* or, *&* us, (*Germanicè in* -en-ung/ ey/ nüß *vel* niß.)	§ 308, (exempla sex; duo in -*io*; duo in -*or*. duo in -*us*,) § 260 (sex) &c.

145. Lect-or- -trix. (der Leser/ die -in) Audit- or- trix. (Zuhörer-in.)	(II) *Nomē actoris desinit in* -or, *& actricis in* -trix. (*Germ. in* -er, *&* -erin.)	§ 130 (tria exēpla) 738. 932. (quatuor.)
146. Liga-*men*, vel *mentum*, (qvô ligamus aliquid, ein Band.) Dol-abra, Hobel. Tere-bra, Borer. *Sic* Venabulum. offendiculum. Aratrum. Reg-ula Teg-ula &c.	(III) Nomē instrumenti, *quô actio talis peragitur, desinit Latinis in* men, *vel* mentum. *Item in* -bra-brum-bulū -culum- strū- trū ula. (*Germ. sæpe addunt* -zeug- sal/ *vel aliud: ut Terriculamentum* Scheu- sal *&c.*)	Vide. 123 354. 358. 471. 473 606 706 748. (quatuor insunt exempla) 771.
147 Creat-ura, geSchöpf &c. Pict-ura, ge- Mähld. Fact-ura, ge- Mächt.	(IV) Nomē rei motu factæ *desinit in* -ura (*Ger.* præmisso Ge.)	§ 117 391. 477 (tria) 486 (duo)
148. Tex-trina, Weber-stub Pi-strinum, Backhauß/	Nomen loci, ubi quid fit, *in*-trina, *vel* trinum, *&* torium. (*Germ. additur*	§ 355. 389. 593 726 732. 776

Ora-torium, Bet-kammer.	hauß / stub / *vel simile.*)

149. Hactenus *Nomina derivata: composita fiunt qvatuor modis.*

150. Pater-familiâs Hauß-Vatter. Biblio-theca, Bücher-kamer.	(I) Nomẽ cũ Nomine *apud Græcos & Germanos componitur freqventissimè, apud Latinos vix unquã.* (*Vituntur ergò his talibus Græcis: aut permutant prius nomen* Genitivo, *vel* Adnomini. *Per Regulam Syntacticam generalem II. & III.*	Vide 43 147, 175. 502 417, 462 (ex Latinis tamẽ duobus compositum habetur §804)
Porta Civitatis, Stat-Thor. Janua-domûs, Hauß-thür.		
Cor patris, vel (*paternũ*), Vatter-hertz. Pisces maris, vel (*marini*) See-fische.		
151. Respublica (das gemeine wesen) Latus-clavus (Knopfmätel) Sic Groß-Vater. groß-Mutter. Güt-that. &c	(II) Ex Nomine & Adnomine *composita Nomina Latinis raru sunt: nec Germanis adeò freqventia.*	§84. (duo exẽ-pla.)

152. Denti-

152. Denti-scalpium Zahn-stecher Nuci-frágibulum Nuß-brecher.	(III) Ex Nomine & Verbo *fit nomen instrumenti alicujus.*	§ 784. 826. &c.
153. Sub-Vrbiũ Vor-Stat. ante-Murale Vor-Maur. Concursus Zu-Lauff.	(IV). Ex Præpositione & Nomine *haud rarò fiunt Nomina composita.*	§ 22. 35. 47. 205. 207. &c.

154. Flexio Nominum specialiter fit per Genus, Casum, & Declinationem.

De GENERE Nominum.

155. GENUS, est nota Grammatica sexûs. Nam

hic Vir, der Man/ hæc Fœmina, die Fraw/ hoc Lignum, das Holtz.	*Nomina masculorum sunt generis masculini, fœmellarum fœminini; aliarum rerum (quibus per naturam sexus nõ inest) neutri.* (*)	Per se patet.

[Ita

[Ita esse debuit ubique. Verumtamen soli Angli, quantum scimus, naturam seqvuntur, Linguâque suâ Nomina masculorum semper masculinè, femellarum semper femininè, rerum denique sexu carentium (Herbarum, Lapidum &c) semper neutrè, efferunt. Hebræi nomina Rerum (sexu carentium) masculinè vel fœmininè, quia neutro carent: nos reliqui masculinè vel femininè, vel neutrè, Quod tot illas tricas parit, de quibus monendus es.]

Observationes.

156. Per anomaliam dicimus, *hoc Mancipium*, cùm sit vir; & *hoc Prostibulum*, cùm sit fœmina. Sic Germ. das Weib / fœmina: das Mänlin/masculus Ita Bohemis, To Knjže/ Princeps (neutrè.)	I) *Confusio linguarũ fecit, ut Nomina rerum sexum habẽtium alicubi efferãtur neutrè, contra naturam.*

157. Per anomaliam item, *hic Sol*, & die Sonn: rectè, to Slunce.	(II) *Rursumque de rebus sexu carentibus loqvamur masculinè aut fœmininè.*	Taliũ exercitus est apud nos, ut & *Lat.* & Græcos.
158. Dicimus etiam: veluti dubitantes, *hic* vel *hæc*, *Dies*, *Finis*, *Scrobs* &c der / oder die/ Bach/ Butter/ Schoß/ Tauff/ &c.	(III) *Fit etiam, ut in eadem lingva idem Nomen diverso genere usurpetur, & utrum rectiùs, dubitetur. Talia vocantur* Dubij generis.	Talibus in Lexico *m* & *f* (aut *g d.*) additur.

159. Di-

159. Dicimus, *hic Conjux*, der Gemahl, & *hæc Conjux*, die Gemahl. *hic Parēs* Vater/ *hæc Parens* Mutter. &c

[IV] *Quædā sub eadem terminatione usurpantur & masculinè, de mare; & fœmininè, de fœmina. Dicuntur* generis Communis, *seu* utriusque. (*)

Additur his in Lexico, &c. Vide Jan § 10. 196. 332. 873. 886, 945

160. Dicimus, *Lupus & -a*, der Wolff / die Wölffin: & nō dicimus, *Le-pus & a*, der Hase/ & Häsin. Sic in Avibus: dicimus *Columb-us & a*, & non dicimus *Corv-us-a*, vel *Aqvil-us, & a*: Sed tantùm hic Corvus, & hæc Aqvila. Nempe *Corvus fœmina, Aqvila mas* &c.

(V) *Animalium nomina non semper diversâ terminatione sexum exprimunt, sed plerunque sub genere masculino, aut fœminino, utrū-que sexū designānt. Dicuntur* generis epicœni, *h.e.* promiscui. *Ita nos*: ein Rab/ sie-ichen: eine Eule männichen. (Hawran samice; Sowa samec.)

§. 137. 140, 154 155. 170. 172. 173. 184. 187. &c.

161. Vtrumergò Nomen, qvod obvenit, usurpandum tibì sit genere *Masculi-*

no,

no, an *Feminino*, vel *Neutro*, vel *utroque* vel *Alterutro*, vel efferendum *Epicœnè*, dignoſcere aſſveſce, *I. è Significatione*, *II. Terminatione*, *III. Authoritate.* (*)

De cognoſcendo Nominum genere per Significationem, Regulæ V.

162. *Adam*, *pater*, *ſcriba*, &c. ſunt *g. m.* quia Viros, & virilia officia, ſignificant.	*I. Nomina Virorum, & virilium, officiorum, ſunt generis maſculini:*	Vide § 26. 359, 362, 440, 452 511, 530 567, 568 771. &c.
Eva, *mater*, *nutrix* &c ſunt *g. f.* quia mulieres, & muliebria munia, deſignant.	*Mulierũ a. & muliebrium officiorum* fæminini, *in omnibus Lingvis.* Exc. *Mancipium*, *Scortum* &c. Item das Weib.	§ 386. 932. 951. 969.
163. Virum & fœminam innuo, cùm dico, *Magiſt-er*, *&ra*, (Meiſter-in) *Guberna - tor - trix.*	(*II*) *Nomina officiorum, quæ Viris pariter & mulieribus conveniunt, ſunt* generis utriuſque: *plerumq; ſub terminatione binâ, ſæpe*	Vide § 433, 740 741, (ſeptıes) 744, 759 872, 969.

Re-

(Regent-in) *hic*, vel *hæc*, *Civis*, (Bürger-in)	*tamen* (*apud Latinos* * *) *sub una.*	

[** Nomen duorum generum, duarumque terminationū. vocant *mobile* (ut Hoſpes, hoſpita); unius a. terminationis (ut Heres der Erbe/heres die erbin) *immobile*. Qualia Germanis duo tantùm eſſe monet *Clajus*, der oder die Gemahl; der oder die Gevatter. Et tamen jam quoque invaluit Gemahlin/Gevatterin. Bohemis unicum eſt comunis generis immobile, ten Chot/ſponſus; ta Chot/ ſponſa. Polonis vix ullum.]

164 Hic *Sinai*; hic *Iordanis*, hic *Boreas*, hic *Aprilis*. [Hæc Æthna, hæ Alpes: hæc Allia, *hoc Nar*, (*flumina Italia*)	(*III*) *Menſium fluminum, Ventorum, Menſiumque nomina* (*Latina*) *maſculina ſunt.* (*Paucisſimis montium & fluminum exceptis: quæ ſecundum terminationem potiùs uſurpantur femininè, aut neutrè.*	§ 41, 551, 561.
165. Hæc *Ægyptus* hæc *Rhodus*, hæc *Babylon*, hæc Ceraſus, &c. (Hoc Ilium, Belgium, Lugdunum &c. Hic Oleaſter, Hoc, Suber.)]	(*IV.*) *Regionum, Inſularum, Vrbiū, Arborumque nomina feminina ſunt.* (*Paucis exceptis, quæ terminationem potius ſequuntur, quàm ſignificationem.*)	§ 110, 111, 112. 118, 562. § 562, (velſepties)

Hoc

166. Cerasum, Pomum, Plumbū &c. *Cæsar* disyllabum; *Legere*, trisyllabum est. (Hæc Nux, Glans, Juglans, Ficus. hic (chalybs.)	[*V.*] *Pleraque nomina Fructuū & Metallorum; omnia verò materialiter posita (sine significatione) neutra sunt.*	§ 64, 65, 66, 67, 68, 89, 92, 104, 114.

De cognoscendo Nominum genere per Terminationem.

167. Omnia Latinorum Nomina in aliquam harum tredecim literarum desinunt, a, e, i, o, u: c, l, m, n, r, s, t, x. Ex quibus quomodo genus cognoscas (in Nominibus puta quæ ad præmissas V. Regulas non pertinent) compendiosiùs mox disces, cùm Nomina inter Declinationes distribui videbis. (*)

De cognoscendo Nom. genere per Authoritatem.

168. Dico, *liberè hic* vel *hæc Adeps, Bos, Canis, Grossus, Imbrex, Limax, Rubus, Serpens, Sus, Torques,*	*Rerum Nomina, ab Authoribus vtroque genere usurpata, utrovis usurpari possunt.*
169. Potiùs a. *hic* quàm *hæc, Amnis, Angvis, Arrhabo, Bubo, Callis, Clunis, Cortex, Finis, Funis,*	*Quæ tamen sæpius ab Authoribus, aut melioribus, usurpantur masculinè, quàm fœmininè,*

 Grex

Grex, Margo, Natrix, Obex, Palumbes, Pampinus, Pulvis, Pumex, Rudens, Scrobs, Sentis, Silex, Vepres, Varix.

Cõttà potiùs hae quã hic, Ales, Alvus, Atomus, Balanus, Calx, Canalis, Colus, Corbis, Cupido, Grus, Linter, Lynx, Scobs, Stirps, Volucris, Talio.

170. Ames, Trudes, Tudes, tutiùs usurpes masculinè, propter analogiam similiter desinentium.

aut contra, tutius plures, & meliores imitamur.

(Obs. Nimis rara non attenduntur, & inter obsoleta relinquuntur. Ut quòd Virgilius Dama & Talpa masculinè extulit.)

Quæ ab Authoribus usurpata reperiũtur sine generis mentione, quô illa genere extulerint antiqui incertũ est: sequẽda igitur analogia.

Flexio Nominum per CASUS.

171. CASUS est peculiaris terminatio Nominis: quâ res aliter exprimitur dum nominatur, aliter dum vocatur, aliter dum ei aliquid tribuitur vel adimitur. &c.

(Dicitur Casus: quia terminatio sic vel sic cadit.)

Observatio.

172. Germani quatuor duntaxat habent verè distinctos Casus, Nominativum, Genitivum (seu Possessivum) Dativum, & Accusativum (seu Activum). Græci addunt qvintum, Vocativum; Latini sextum, Ablativum (seu In-

Instrumentivum); Slavi septimum, *Locativum*; Hungari octavum etiam: nec ultrà progredi lingvam aliquam compertum est. (Faciliores a. sunt Lingvæ, qvæ minus variationum habent.)

173. *Nominativus & Vocativus* dicuntur *Casus recti*, cæteri *obliqvi*. Illi, quia Orationis fundamentum sunt, eamque inchoant: hi qvia variè obliqvantur.

174. *Inter obliqvos primus est Genitivus*; *primò*, qvia Declinationis character

(Nam, quodcunque Nomē in Genitivo habet	æ / i / is / ûs / ei	est Declinationis	Primæ / Secundæ / Tertiæ / Quartæ / Quintæ.)

deinde, quia quam ille terminationē inchoat, hanc reliqui continuant. Ex. gr. *Rex-x-gis-gi-gem-ge : -ges-ges-gum-gibus-ges-gibus. Nex-cis-ci-cem- &c.*

175. Dativus & Ablativus pluralis ubique sibi (apud Latinos) similes sunt.

Obs. In Nominibus neutris, Accusativus (etiam) similis est rectis, desinitque pluraliter in -a (Nempe, Latinis, Græcis, Bohemis.)

Flexio Nominum per DECLINATIONES.

176. Declinatio, est Nominis per

Casus & numerum flexio. Cujus *formulæ apud Latinos quinque sunt.*

[*Apud* Græcos nonnisi tres, verè distinctæ (*) : sicut & apud Germanos.]

Declinatio I.

Obs. I. De huc spectantibus

177. Paradigma.

-a	-æ
-a	-æ
-æ	-arum
-æ	-is
-am	-as
-â	-is

1. *Propria est fœmininorum in* -a, *quorum ingens est numerus.*

2. *Multa item masculina* (*ut* Advena, Incola, Scriba, Verna, Lixa &c.) *sic declinantur : qualia quia personam denotant masculam, ex Regula de Significatione* (§ 162) *cognoscuntur.*

3. *Quædam quoque sexu carentium Græca in -ta* : Cometa, Planeta *&c. quibus in Lexico sua nota additur.*

Obs: II. de Dativo & Abl: in -abus.

178. Providendum est pabulum *asinabus*, *& eqvabus*, *& mulabus*: laborum a. pensa *servabus*, imò & *libertabus*, & *filiabus* (*natabus*) ne garriant cum *sociabus*. At nos ut cōsulamus *animabus*, DEO

Anomalia hîc nulla, præterquam qvòd fœminina decem *Dativũ & Abl. pluralem formāt in* -abus. (*Nempe ut distinctè loqvi liceat de* filijs & filiabus (von Söhnẽ vnd töchtern) *de* Equis & equa-

DEO serviamus, non dijs aut *deabus*. | bus (von Pferden und Stutten) *vide* § 731.

[*Inveniuntur tamen etiam fœminina per-is.*]

DECLINATIO II.

179. -er-us-um: i-a.
-er -e -um: i- a,
i ——: orum.
o ——: is.
um ——: os
ô ——: is.

Huc spectant

1. *Omnia in* um, *neutra*.
2. *Pleraque in* er, *masculina*: *exceptis tantummodò* 38, *quæ ad tertiam*. *Unicum est in* -ir, Vir.
3. *Pleraque in* -us *masculina*: *quibus ideò nulla in Lexico additur nota*: *additur ijs*, *quæ ad tertiam vel quartam spectant*, (*ut* Virt-us-útis, Ort-us-ûs.): *aut genere differunt*: *ut Arborum nomina* (*per* § 165) & *hæc quatuor fæminina*, Abyssus, Alvus, Humus, Vannus; & *quatuor dubia*, Grossus, Pampinus, Phaseolus, Rubus. Et Virus, Pelagus, *neutra*; Vulgus *denique*, *m.* & *n.*

Obs. II. de formatione VOCATIVI.

180. *Domine Secretari*, *Domine Georgi*, *mi fili*, audi! Juva sancte *DEUS*, adesto bone geni!

Vocativus desinentium in -us, *fit in*-e. *Exceptis proprijs in* -ius, *quæ*-us-*abijciunt* (Antoni, Virgili, Gregori &c.) *quæ imitantur duo cõmunia*, Fili, & Geni. DEUS *nihil abijcit*, *neque mutat*. (*Prudentius quidem dixit*, ô Dee cunctipotens: *sed imitandus non est*.)

Obf. III. de form. Genitivi.

181. *Magis-ter, tri. Vir, viri. Soc-er, -ĕri, &c.*	(1.) *Genitivus Nominativo parisyllabus est. Excipe tantùm* Vir, viri: *& quinque in-*ĕri; Socer, Gener, Puer, Presbyter, Adulter.
Marci Tullij, & Tullî. Pecul-ium, -ii, & -î, &c. Deorum, vel *Deûm Nummorum*, vel *Nummûm.*	(2.) *Contrà desinentia in* -ius *&* -ium, *contrahunt quandoque Genitivum, ut fit Nominativo brevior.* (3) *Sic & pluralis Genitivus (Poëtis) contrahitur.*

DECLINATIO III.

182. Paradigma hujus tale est:

Nom.	-a.-e-o-c-l-n-r-s-t-x.	*-es, -a vel -ia*
Voc.	similiter	
Gen.	——————is:	*-um, vel ium*
Dat.	——————i:	*-ibus.*
Accus.	——————em, vel im:	*-es, -a vel ia.*
Ablat.	——————e, vel i:	*-ibus.*

Obs. I. De hûc pertinentibus.

183. Habet Declinatio hæc nomina omnium terminationum (quas diximus § 167. exceptis *-u*, & *um*.

Obſ. II. de formatione Genitivi.

184. Genitivus Nominativo ſæpè pariſyllabus eſt (ut *Pa-ter ris*) ſæpè autem creſcit, & fit impariſyllabus (ut, *Mil-es, -itis*). Et qvanquam ſemper in *-is* exeat, ad illud tamen *-is* non ſemper eodem venitur modo. Cumque magna hîc ſit varietas, ſingulis hujus declinationis Nominibus ſuus additur in Lexico Genitivus, ne errari poſſit. (*)

[Quod utut diſcentibus ſufficit, redigi tamen illa hîc in claſſes, qvid prohibet? Percurramus ſingulas terminationes.

1. *Poëm- a*, -ătis, n.	Sic omnia Græca in *-ma*.
2. *Mar-e*, -is, n.	Sic omnia Latina in *-e*. (Græca n. fœminina ſunt, & 1. Decl: Vide §)
3. *Carb-o*, -ónis, m.	Excipe Verbalia in *-io* (Lectio, Seſſio, &c.) fœminina, & his ſimilia quædam, *Concio, Dicio, Legio, Mentio, Natio, Optio, Portio, &c.*
4. *Grand-o*, -ĭnis, f. (*Caro*, ĭnis, contractè *carnis*.)	Sic declinata omnia ſunt gen. f. Excipe: *Cardo, Homo, Margo, Ordo, Turbo, Tendo*, g. m.
5. *Halec, écis*: *Lac, lactis*, n.	Nec plura deſinunt in *c*.
6. *Vectig-al*, -ális, n.	Sic omnia in *-al*. Exc. *Sal*, qvod ſæpiùs maſc.

8. *Mel*, mellis, & *Fel*, fellis, g. n. (Nec plura ſunt.)

8. *Sol*, ſolis, m. (Neq; plura ſunt.)

9. *Conſ-ul-ulis*, m. (per Regulam de Significatione, § 142.) Ita *Præſul, Exſul*. 10.

10. *Flum-en*, ĭnis, n. — Et sic omnia in *-en*. Excipe masculina 1. *Flamen* (Sacerdos) *Pollen*, *Pecten*: & composita à Cano, *Fidicen*, *Tibicen*, &c. 2. Et quæ Genitivum faciunt in *-énis*; *Attagen*, *Lien*, *Splen*, *Ren*.

11. *Calc-ar*, -áris, n. — Exc. *Iubar*, *Nectar*, *Baccar*, *Cappar*, in *-ăris*: & *Far*, *farris*.

12. *Agg-er*, -ĕris, m. — Sic desinentia sunt octo masc: (*Aer*, *Æther*, *Agger*, *Anser*, *Asser*, *Passer*, *Carcer*, *Vomer*): fœminina duo (*Mulier* & *Tuber*, *arbor*): neutra undecim (*Acer* (arbor) *Cadaver*, *Papaver*, *Piper*, *Siler*, *Siser*, *Suber*, *Tuber* (pro tumore) *Vber*, *Spinther*, *Verber*. Et *Iter*, seu *Itiner*, *itineris*; *Ver veris*: *Imber*, *imbris*: *Vter*, *utris*, *Linter*, *lintris*, *m*.

13. *Hon-ŏr*, -óris, m. — Exc. 1. *Soror*, *Vxor*, f. & *Arbor*, *arbŏris*. (2) *Ador*, *Æquor*, *Marmor*, n. per *-ŏris*. (3) *Cor*, *cordis*, n.

14. *Gutt-ur*, -ŭris, n. — Sic omnia. Exc. (1) *Ebur*, *Femur*, *Iecur*, *Robur*, n. per *-ŏris*. (2) *Vultur*, *Turtur*, *Furfur*, m. per *(ŭris*. (3) *Fur*, *fūris*.

15. *Civit-as*, -átis, f. — Sic omnia. Exc. *Anas*, *ătis*, f. (2) *As*, *assis*; *Mas*, *maris*; *Vas*, *vadis*, m. (3.) *Vas*, *vasis*, n.

16. *Fam-es*, -is, f. — Sic omnia in *-es*, *-is*, non crescentia. Exc. *Acinaces*, *Cotes*, *Verres*, m. (2) *Palumbes*, *Torques*, *Vepres*. g. d.

17. *Fom-es*, -ĭtis, m. — Sic omnia Genitivo crescentia: sive crescant per *-ĭtis*, sive *-étis*; *idis*, vel *-édis*, sive aliter, omnia sunt masc. Exc. fœminina Abies, -ĕtis; *Seges*, *-ĕtis*; *Teg-*

18. *Av-*

es, - *ĕtis*; *Quies*, -*étis*; *Merc-es*, *édis*; *Compes*, -*ĕdis*, *&c.*

18. *Av- is*, -*is* (Genetivo nõ creſcentia) fæminina ſunt.

Excipe maſculina 17: *Axis*, *Callis*, *Caſsis*, *Caulis*, *Collis*, *Crinis*, *Enſis*, *Faſcis*, *Follis*, *Funis*, *Menſis*, *Orbis*, *Panis*, *Penis*, *Piſcis*, *Sentis*, *Torris*. (2) ex dubijs, *Amnis*, *Anguis*, *Finis*.

19. In- *is* creſcentia variãt.

Cuſp-is, idis; *Caſs-is*, idis; *Gl-is*, iris; f. (2.) *Lap-is*, idis; *Sangu-is*, inis; *Cin-is*, ĕris, m. Sic *Pulvis*, *Vomis*, *Cucumis*

20. in- *os* deſinentia variãt.

Fl-os, óris, m. ſic *Honos*, *Lepos*: ſed *Nep-os*, ótis. (2) *Gl-os*, óris, *Cos*, cótis, f. (3) *Os*, oris, & *Os*, oſſis, n. (4) *Bos*, bovis; *Cuſt-os*, ódis; *Sacerd-os*, ótis, g. c.

21. *Virt- us*, *útis*, f. (Sic in -*údis*, - úris, &c.

Sic omnia in *us*, per *ú* longum creſcẽtia: ut *Senect-us*, útis; inc-*us*, údis; *Tell-us*, úris; *La-us*, udis, &c. Exc. (1.) maſc. *Mus* muris. (2) neutra, *Crus*, *Ius*, *Plus*, *Pus*, *Rus*, *Thus*, -úris.

22. *Corp-us*- -ŏris, n.

Sic omnia in -*us*, per- ŏris, vel -*ĕris*, creſcentia. Exc. (1) *Lep-us*, ŏris, m. (2) *Ven-us*, ĕris; & *Pec-us*, ŭdis, f.

23. In -*s* cum præcedẽte cõſona, variant.

Trab-s, *is*; *Hiem-s*, is, f. *Chalyb-s*, is, m. *Pul-s*, tis, *Ar-s*, tis, *Fron-s*, tis (& -dis) f. *Fons*, *Mons*, *Pons*, *Dens*, m.

24. *Cap-ut* -itis, n.

Solum eſt in -*t* deſinens.

25. *Pax*-cis, f.

Sic pleraque in -*x* deſinentia. Maſc. t. ſunt, *Gre-x*, *gis*, *Cal-ix*, ĭcis, *Forn-ix*, ĭcis *Var-ix*, ĭcis, *Eſ-ox*, ócis, *Volu-ox*, ócis, *Trad-ux*, ŭcis. & partes Aſſis, *Quincun-x*, *Deun-x*, *Sep-tunx*-cis.

Obſ. III. de formatione Accuſativi.

185. Da *Clavem*, vel *Clavim*: con-

Cõmuniter deſinit in-em. *Sed* (1.) *Novem faciunt per*- em

ſcend e

scēde *navem* vel *navim* &c.

& -im (Aqualis, Clavis, Febris, Navis, Puppis (§ 449) Restis, Sementis, Strigilis, Turris.)

(2) Tene faber *amussim*, balneator *pelvim*. Habes *sitim*, aut *tussim*? ne adhibe *vim* &c.

(2) *Duodecim tantùm per* -im (Amussis, Buris, Cannabis, Cucumis, Pelvis (856), Præsepis, Ravis, Securis, Sitis, (245) Sinapis, Tussis (306) Vis. *Sic propria fluviorum*, Tyberim, Ligerim, Albim.

(3) Aspice *ætherem*, vel *æthera* § 21)

(3) *Græca tria, in* -em, vel -a, (Aër, Æther, Hector.)

Obs. IV. de form: Ablativi.

186. In *Febre*, seu *febri*, cave ab *Amne*, seu *amni*, & ab *Igne*, seu *igni*: nec eam *fuste* curabis, aut *fusti*, &c.

Quæ habent Accusativum in em, & im, *iis Ablativus est in*-e, *vel*- i: *prætereaque hæc* 14.

(Avis, Angvis, Amnis, Cannabis, Civis, Classis, Finis, Fustis, Ignis, Ovis, Postis, Sodalis, Unguis, Vectis.)

V. § 60 307, 358, 419, 460. 726, 856.

187. In *siti*, ne utare *sinapi*, neque in *tussi*, præsertim in *Aprili* & mensibus calidis. Potes in *Decembri*, aut

Quorum Accusativus desinit tantùm in-im, *eorum Ablativus tantũ in*-i: *sicut* & (2) *mẽsiũ in*-er- & *is*. (3) *cũ* Canali & Strigili. (4) & *neutris in*

§ 332. 344. 396. 397. 419, 440. 460.

navi-

dū navigas in *mari*. Eqvum concitabis *Calcari* &c.	e, al, -ar, *longum*. (Ergò excipitur *Jubăre*, *Nectăre* (§ 992.) *Farre*.	856, 858. &c.

Obs. V. de format: Nominat: plur: Neutri.

188. *Maria* nō exigunt *vectigalia*: sed *cubilia* reqvirunt *pulvinaria*.	*Cōmuniter desinit in*-a: *sed quæ Ablativū singularē habent in*-i, *Nominativū pluralē faciunt in* -ia.	§ 342, 469(bis) 625, 780. 995.

189. Nidus *avium*: Examen *apum*, vel *apium*: grex *murum*, vel *murium* &c.	*Cōmuniter exit in*-um: *multis tamen in* ium; *vel* -um *&* ium. *De qvo nota* Regulas tres.

190. (I) Monosyllaba faciunt Genitivum pluralem in-*ium*.

Excipe (1) septendecim hæc; *Boum*, *Crurum*, *Ducum*, *Florum*, *Furum*, *Gregum*, *Legum*, *Morum*, *Nucum*, *Pedum*, *Pradum*, *Regum*, *Renum*, *Splenum*, *Suum*, *Strigū Vocum*. (2) Seqventia sex, *Laus*, *Fraus*, *lus*, *Mus*, *Crux*, *Fex*, in -*um* & -*ium*.

191. (II) Desinentia Nominativo singulari in -*es* & -*is*, parisyllaba, Genitivum pluralem habent in-*ium*.

Excipe (1) quinque per- *um* (*Canum*, *Panum*, *Juvenū*, *Strigilum*, *Vatum*) (2) quinque alia per -*um* & -ium; *Cades*, *Clades*, *Sedes*, *Apis*, *Volucris*,

192. (III) *Caro*, *Linter*, *Vter*, *Venter*, *Deunx*, *Qvincunx*, *Septunx*, in-*ium*. Sed *Forn-ax*, -*acum* &-*acium*.

193. Tempore *Bacchanalium* (seu	*Festorum nomina pluralia Genitivum*	vide § 937.

bacchanaliorum) omnia suntplena *sponsalium* (seu sponsaliorû &c. | *habent regularem in*-ium, *irregularem in* iorum.

N. Imitantur hæc, *Sponsalia*, *Vectigalia*, *Viridaria*. (Quin & *Conclaviorum* dixit Vitruvius.)

194. *Serpentûm* (pro *serpentium*) ; *Macedûm* (pro *Macedonum* &c. dicit Poëta. | *Notabis, Genitivos omnes à Poetis quandoque contrahi.*

Obs. VII. Formatio Dat. & Ablat. pluralis.

195. In scribendis *Poëmatibus*(aut *poëmatis*) utere *Commatibus*(aut *commatis.*) | *Exeunt in*-ibus. *Sed* (1) Suibus & Subus: Bobus & Bubus, (*pro* Bovibus) (2) *neutra Græca in*-ma, *habent*-matib9 *vel* mätis

DECLINATIO IV.

196. N.-us-us
V. -us -us.
G.-ûs -uum
D. :ui -ibus.
Ac.-um-us
Abl. - u-ibus

Hûc spectant (1) *quæcunque in Lexico notam* -ûs *adscriptã habent. Suntque omnia masculina, exceptis octo femininis* (Acus, Nadel/ Anus, Alt Weib/Domus, Manus, Nurus, Socrus, Porticus, Tribus: *tribusque dubijs*, (Colus, Penus, Specus)

(2) Neutra in -*u* septem: *Cornu*, *Gelu*, *Genu*, *Penu*, *Specu*, *Tonitru*, *Veru*.

(3) Arbo-

(3) Arborum quinque fœminina: *Cornus, Ficus, Laurus, Prunus, Quercus.*

Obs. de formatione Casuum.

197. Dic *Arcubus, Artubus, Lacubus, Acubus, Ficubus, Quercubus, Tribubus*; & *Specubus*: (non verò *Arcibus, Artibus*, *Lacibus &c*)

Tria masc. quatuor fœm. & unum dub. formant Dat. & Abl. pl. in -ubus (*pro* -ibus). (*Vide* § 143, 395, 897.)

Sed rursum *Portubus*, vel *portibus*; *Quæst-ibus*, vel *-ubus*; *Gen-ibus*, vel *-ubus*; *Ver-ibus, vel -ubus.*)

Quatuor verò alia in -ubus; *&* ibus. (*Vide* § 214, 365).

198. Corn- u- u- u -u- u- u: Corn-ua- ua-uum-ibus-ua-ibus.

Neutra in -u *aptota sunt in singulari.*

199. *Currûm* pro *Curruum*; *Passûm*, pro *Passuum*, dicunt Poëtæ.

Etiam hic Genitivum pluralem cōtrahunt quandoque Poëtæ.

DECLINATIO V.

200. N. -es	-es
V. -es	- es
G. -ei	-erum
D. -ei	-ébus
Ac. -em	-es
Abl. -e	-ébus.

Nomina hujus Declinationis pauca sunt, vix 50: omnia terminata in -ies, *exceptis tribus*, Fides, Spes, Res. (*Neque terminata in* -ies *aliò quam huc spectant, præter* Abies, Aries, Paries, Quies *&*

Inqvies, *quæ tertiæ sunt:* & Reqvies, *qvod tertiæ & qvintæ.) Suntque omnia g. f. excepto* Dies, *qvod in singulari dubium, in plurali masculinum;* & Meridies, *g. m.*

201. Anomalia hîc nulla: præterquàm qvòd in plurali non usurpentur, nisi quinque hæc, *Acies, Facies, Dies, Res, Spes*: & apud Philosophos *Species.*

Appendix triplex.

202. Sic erant Declinationum classes. Monendus seorsim es de declinandis Nominibus I. *Compositis. II. Anomalis. III. Peregrinis.*

I. *de Nominibus compositis rectè declinandis.*

203. Nom. *Usufructus. Gen. Usûsfructûs.* Dat. *Usuifructui* Acc. *Usumfructū.* Ab. *Usufructu.* *Respublica, reipublicæ, rempublicam, &c.* Rosmarinus, rorismarini &c. Rahthauß / Rahthausses &c.	*Composita ex duobus Nominativis, utroque declinantur (*) Vide § 769. 790.* (*NB. Germanica composita semper declinantur ut simplicia, finem tātum flectendo.*)
204. *Paterfamiliâs, Patrisfamiliâs, Patrifami-*	*Composita ex Nominativo & Genitivo (aut Ablati-*

familiàs, &c. *Iurispe-ritus, Iurisperiti, Iuris-perito*, &c. Iurecon-sult-us us, i-o&c.

205. *Artif-ex, icis, ici, icem, ice, &c. Ter-rigen-a, æ, am*, &c. *Terrigenarũ* (vel *Ter-rigenûm*.) (*)

blativo) *Nominativum tantùm declinant.* (*)

Composita è duobus cor-ruptis, tanquam simplicia declinantur. (Nisi qvòd in qvibusdam horum Poetæ Genitivum plu-ralem contrahunt.)

II. de Anomalè declinandis.

206. Ad præscriptas quinqve Declinatio-num formas, non omnia Nomina flecti pati-untur: quia nonnulla (1) *deficiunt*; alia (2) *re-dundant*; alia (3) *variant*.

(1) Deficientia.

207. Non dici-mus *Plumba, Tri-tica, Senectutes, Temperantias &c.*

Multa nomina pluraliter nõ declinantur (*qvia usus deest*.) *ut pleraque* Mineralium, Stir-pium, Ætatum, Virtutum & Vitiorum.

208. Contrà, tã-túmodò dicim[9] *Bacchanalia, Ma-gnates, Proceres, Nuptiæ, Cunæ, Li-tera, Liberi* (die Kinder) &c.

Festorum & Lu-dorum gentilium no-mina, & e commu-nibus multa, singu-lariter nunqvam usurpantur. (NB. Tantùm plu-

Talibus in Lexi-co addi-tur *t. p.* (h. e. tan tùm plu rale) vi-

non

non autem *Bacchanale*, *Magnas*, *Nuptia*, *Liber*, das Kind) &c. | ralia *Germanorum lingua ignorat*, hæ Literæ, der Brieff: Venetiæ, das Venedig/ &c.) | de § 45, 181. 336, 552, 771, 796, 865, 905, 961, &c.

209. *Frug-is*, *i*, *em*, *e*: caret Nominativo & Vocativo. (Sic *Dapis*, *Opis*, *Precis*, *Sordis*, *Vicis*.) Vocativo a. & Dativo, *Vir-us*, *i*, *us*, *o*: & *V-is*, *is*, *im*, *i*. Sed hoc pluraliter, integrè, *Vir-es*, *ium*, *ibus* &c.

Quædam non recipiunt omnes Casus, sed tantùm, (1) *vel quatuor (dicuntur* Tetraptota: *h. e. Nomina quaterno casu.*)

210. *Plus*, *pluris*, *plus*. *Ad-or*, *ŏris*, *or*. *Sati-as* (*pro Satietas*) *atem*, *ate*. *Dic-a*, *am*, *as*. *Impet-is*, *e*, *ibus*.

(2) *Vel tres (dicuntur* Triptota.)

211. *Fas*, *nefas*, *instar*, *volupe*, *necess-e* (& *um*) *tantùm Nominativo & Accusativo usurpantur*. Item *Fors*, *forte*; *Spontis*, *sponte*.

(3) *Vel duos (Dicuntur* Diptota, *bino casu*.)

212. Reperiuntur & unico duntaxat usurpata casu (*Monoptota*) ut Nominativo, *Potis*; Genitivo, *Dicis*; Accusativo, *Infitias*; Ablativo, *ingratijs*.

213. Sunt denique Nomina, quæ unâ terminatione omnes Casus absolvunt, sic: Vnum *pondo*

pondo, unius *pondo*, uni *pondo*, tria *pondo*, trium *pondo* &c. Ita *Gummi*, *Sinapi*, *Stimmi*, *Cape*, *Gausape*, *Præsepe*, *&c.*

(NB. Dicuntur ἄπτωτα *sine casu*; & ἄκλιτα, *indeclinabilia*: suntque omnia g. n. Sed quædam illorum recipiunt aliam terminationem (fereque etiam genus), & fiunt declinabilia: *Capa*, *Sinapis*, *Præsepis*, g. f. *Gausapum* & *Stibium*, g. n.)

(2.) Redundantia.

214. Sunt quæ diversimodè terminantur, eoque diversâ Declinatione flectuntur. Vt

(1) Mend-*a* &-*um*, Buccin-*a* & -*um*, Rap-*a* &-*um*, &c. in prima & secunda.

(2) Senect-*a* & *us*, *ûs* &c, in prima & quarta.

(3) Munditi-*a* & -*es* &c, in prima & qvinta.

(4) Scorpi-*us*, & -*o*, in secnnda & tertia.

(*Qvalia Lexicon suis locis ostendit.*)

215. Sunt rursum, quæ eâdem terminatione & declinatione, plurali numero genus mutant. Vt

(1) *Tartarus*, masc: pluraliter *Tartara*, neutrè. Sic *Avernus & Infernus*.

(2) *Locus*, plur. *Loci* & *Loca*. Sic *Jocus*, *Sibilus*, *Eventus*.

(3) *Carbasus*, g. f. pluraliter *Carbasa*, g. n.

(4) Neutra in plurali masculina fiunt hæc: *Cœlum*, *cœli*; *Clathr-um*, *i*; *Cicer*, *ciceres*; *Siser*, *siseres*. Sed *Frenum*, *Capistrum*, *Rastrum*, i & a.

(5) Neutra in plurali fœminina sunt; *Deli-*

cium, *deliciæ*; *Epul-um*, *æ*, *Baln-eum*, *ea* & *-eæ*.

(6) *Vesper-a*, *æ*; & *Vesper-us*, *i*; & *Vesp-er*, *eris*, integrè declinantur, in *prima*, *secunda*, & *tertia* Declinatione.

(3) Variantia.

216. Sunt denique, quæ eâdem terminatione, eôdemque genere, Casus tamen diversarum Declinationum inter se miscent. Ut

(1) *Vas*, *vasis* (singulariter) in tertia; *Vasa*, *vasorum* (pluraliter) in secunda. (Reperias tamen apud antiqvos, & singulariter *Vasum*, & pluraliter *Vasibus*.)

(2) *Ficus* (pro arbore & fructu) *Laurus*, *Quercus*, *Cornus*, *Pinus*: item *Acus* & *Colus*, secundæ & quartæ Declinationis casus usurpant promiscuè.

(3 (Iuger-*um*, *um*, *i* (& *-is*) *o*, *um*, *o* (& *-e*) *-a*, *a*, *ûm*, *-is* (& *ibus*) *a*, *is* (& *-ibus*)

(4) Dom- *us*, *us*, *ûs*, *ui*, *um*, *o* (non *-u*) *-us*, *us*, *uum*, *ibus*, *os* (& *-us*) *ibus*.

(h. e. *Domus* declinatur in quarta: è secunda tantûm accipit Ablativum singularem, & adjungit Accusativum pluralem.)

217. *Penus*, declinatur in secunda, & tertia, & quarta. Hic vel hæc *Penus*, *i*, vel *ûs*; & hoc *Penus*, *ŏris*: vel *Pen-um*, *i*; vel *Pen-u*, *u*. Ita & *Specus*. Utrumque tamen usitatissimè in quarta, & quidem masculinè.

III. De Peregrinis rectè declinandis.

218. Nomina peregrina (Græca, Hebræa, &c.) declinantur vel in prima, vel in secunda, vel in tertia Declinatione.

219. In prima declinantur (1) masculina in *-ta*, (ut *Cometa*, &c) regulariter.

(2) Propria in *-as* & *-es* masculina; & in *-e* fœminina, sic.

Æne-as, a, æ, a, am (*vel -an*) *â*.
Anchys-*es, e, æ, æ, em* (vel *-en*) *e*.
Epitom-*e, e, æ* (vel *-es*) *æ, en, e*.
} Pluraliter secundùm Typum.

(3) Hebraica in *-as*, *Tobias*, *Jesaias*, *Messias*, *&c.*

(4) Quidam sic etiam declinant desinentia in *-am*; *Adam*, *Adæ*; *Abraham*, *Abrahæ*, &c. Alij Latinam malunt addere terminationem *-us*, declinantque in secunda.

(5) *Pascha*, *Manna*, *Mammona*, in libris sacris non declinantur: apud Ecclesiasticos scriptores reperitur hæc *Pasch-a, æ*: & hoc *Pasch-a, atis*.

220. In secunda declinantur

(1) Græca in *-os* & *-on*, versa in *-us* & *um*; sic.

Isthm-*us, e, i, o, um, o*:
Enchiridi-*on* (*um*) *on, i, o; on, o*:
Orphe-*us, u, i, o* (& *-i*) *um, o*:
} in Plurali regulariter omnia: præter quòd Accusativum habet *Orpheos*, vel *Orpheas*.

(2) JESUS, Accusativo *Jesum*, reliquis casibus *Iesu*.

[NB. Ita Germani peregrina Nomina aut peregrinè declinant, per Casus Latinos; aut vernaculè sine casu. Vt, Christi Jünger / vel Christus Jünger: dem HErren Christo / vel dem HErren Christus / &c.]

221. In tertia declinantur *David*, *Daniel*, & similia, regulariter. Alia masculina sic.

(1) Her-*os*, *os*, *ois*, *oem* (vel-*oa*) *oe*: *oes*, &c.

(2) Phalar-*is*, *is*, *idis*, *idi*, *im* (vel *in*) *ide*.

(3) Chrem-*es*, *es* (& -*e*) *is* (& -*étis*) *i*, (& *éti*) *em* (vel -*étem*, & -*éta*) *e* (vel -*éte*)

222. Fœminina sic.

(1) Lamp-*as*, *as*, *adis* (vel-*ados*) *adi*, *adem* (vel -*ada*) *ade*. (Accusativo plurali -*ades*, vel -*adas*.)

(2) Hæres *is*, *is*, *is*, (vel-*eos*) *i*, *im* (vel -*in*) *i*: Plur. -*es*, *es*, *ium* (vel-*eôn*) *ibus*, *es*, *ibus*.

[Ita *Praxis*, & alia similia.]

(3) Ech-*o*, *o*, *ûs*, *o*, *o*, *o*. (Sic *Argo* &c.)

(4) Hierich-*o*, *o*, *untis*, *unti*, *untem* (vel-*unta*) -*unte*.

223. Neutra sic.

(1) Mel-*os*, *os*, *ûs*, *e*, *os*, *ô*

Plur: -*e*, *e*, *ôn*, *esi*, *e*, *esi*.

(Ita *Chaos*.)

(2) Sinap-*i*, *i*, *ios* (& -*is*) *i*, *i*.

224. Græca à πȣ̃ς composita, Græcorum imitatione declinantur in tertia: *Tripus*, *tripodis* &c. Sic Antipod *es*, *es*, *um*, *ibus*, *as*, (§ 559) *ibus*. Quædam tamen etiam in secunda: ut,

ut, *Polyp-us, odis* (vel -*i*) *odi* (vel -*o*) &c. Sic *Melampus*, & *Oedipus*.

225. Patronymica in -*des* (filium aut nepotem significantia) declinantur in prima vel tertia indifferenter: ut, Ænead-*es*, *es*, *a* (vel -*is*) *e* (vel-*se*)*em*, *a* (vel *e*). Ita *Manasses*, *Psaltes*, *Ecclesiastes* (& Polonicum *Palatinides*.)

226. Artium nomina Græca singulariter declinantur in prima, fœmininè: sive Latinè (Grammatic-*a*, *a*, *a*, *a*, *am*, *a*,) sive Græcè (Grammatic-*e*, *e*, *es*, *a*, *en*, *e*,); pluraliter verò in secunda neutrè Grammatic-*a*, *a*, *orum*, *is*, *a*, *is*.) Sic *Logica*, *Rhetorica*, *Mathematica*, *Musica*, *Statica*. &c.

(Sed ellipsis est utrobique: ibi *ars*; hîc *præcepta*, *monita*, *scripta*.)

Cap. XXV.

ADNOMINUM formatura, 228. *derivando*; 254. *componendo*; 260. *flectendo*; 285. *in Nomen transformando*.

227. Adnomina primitiva (Latinis) sunt circiter 250. derivatorum & compositorum ingens numerus.

228. Derivantur enim primùm à *Nominibus*, *novempliciter*: tum à *Seipsis*, & à *Verbis*, & ab *Adverbijs*, multipliciter.

Adnomina Denominativa.[1]

229. Lign-*eus*, Lapid-*eus*, Vitr-*eus*, &c; vel Later-*icius*, Cæment-*icius*, Strament-*icius*, Crat-*icius*, &c. Hölzern	*I. A Nomine materia, ex qva quid fit, fit Adnomen illius rei quæ inde facta est, in-*eus, *vel*-icius. (*Germ. in*-ern, *vel* von-)	vid. § 72, 76, 228, 341, 395, 416, 445, 492, 703, 729, &c.

Steinern/ Gläsern /Strohern; &c vel von Holtz Stein/ Stroh/ &c.

230. Aqvil-*ino* ungvis, Can-*ino* dens, Vrs-*inus* pes &c. Adlers (klaw) Hunds (Zahn) Beeren (Fuß) &c.	*II. A Nominibus Animalium veniunt Adnomina possessiva in* inus (*Germ. in Genitivo.*)	§ 193, 344, 363 (sex) 390, 489 &c.
231. Sed Fág-*ĭnus*, Cannáb-*ĭnus*, Junc-*ĭnus*, &c. Büch-en / Hänff-en. Bintz-en/ &c.	*III. A Nominibus stirpium fiunt Adnomina in* ĭnus (ĭ *breve*) (*Germ. in* -en, *vel* von-)	§ 81, 384, 389, 390.

vel von der Büchen/ von Hanff/ von Bintz.

232. Mund-*ánus*, Rom-*ánus*, Cœl-*estis*, Terr-*estis*, Noriberg-	*IV. A Nominibus locorum fiunt Adnomina in*-á-nus, *vel* -estis, &	§ 101. 553 560. 870 923. &c.

ensis

ensis, &c. Welt-lich / Röm-isch/ Himml-isch / Erd-isch/ Nürē-berg-isch/&c. vel	-estris: *item à Nominibus Urbium in* -ensis. (*Germ.* isch/ *vel* von: *aut per compositionē.*)

von der Welt/von Rom/ &c; vel, Welt-man/Meer-fisch (*aequoreus, seu marinus*) &c.

233. Capit-*átus*, Aur-*itus*, Nas-*útus* &c. Köpfichte/ Augichte/Nasichte vel, das einen Kopff / Auge/ Nase/ &c. hat.	*V. A quorundā membrorum nominibus facimus Adnomina in* -átus, -ítus, -útus, *significantia rem tali membro praeditam.* (*Germ. per* -icht.)	§ 29. 93. 124, 133. (bis) 137, 146 162 (bis) 163, 178. &c.
234. Palli-*átus* Ocre-*átus*, Pell-*itus*, &c geMantelt/geStieffelt/ gePeltzet: *aut potius*, mit einem Mantel / Peltz &c. angethan.	*VI. A Nominibus Vestium fit Adnomen in* -átus, *vel* -ítus, *sic indutum significans.* (*Germ.* ge-et: *vel* mit-angethan.)	§ 142. 328 382, 428. 688, 839. 889 &c.
235. Milit-*áris*, Greg-*árius* (seu Greg-*ális*) Ux-*órius*, Marit-*ális*, Serv-*ílis*, &c.	*VII. A Nominibus statuum oriuntur Adnomina in* -áris, -árius-órius, -ális, & -ílis.	§ 357, 367 701, 709 731, 778. 785 (bis,) 848. 851

Kriegsmañ-isch (*Germ. in* - isch.) § 56, &c. Gemein Soldat-isch / Eheweib-isch / Ehemann-isch / Knecht-isch / &c.

236. Carn *ósus*, Pil-*ósus*, Mont-*ósus*, Lapid-*ósus*, &c. Fleisch-icht / Harr-icht, Berg-icht / Stein-icht. | *VIII. A Nominibus rerum, quas aliquid substantialiter in se habet, formantur Adnomina, in -ósus*, significantia earundem copiam. (Germ. in -icht) | § 25. 50. 55 (bis) 83. 106. (ter) 110 (bis) 133. 168. 178. 184. 255. 325. &c.

237. Labori-*ósus*, Ærumn-*ósus*, Virtu-*ósus*, Lucu-*lent⁹*, Lutu-*lent⁹*, Somno *lent⁹* &c. Arbeit-sã / Mühe-sã / Tug-ẽdt-sã / &c. vel, voll Arbeit / voll Liechts / voll vnflats / voll Schlaffes, &c. | *IX. Si verò accidentarium est, cujus multùm adesse dicere volumus, Adnomen formatur inde in*-ósus, *aut*-lent⁹. (*Germ. in*-sam / *aut* voll-*cum Genitivo.*) | § 75. 82. 137. 185. 197. 287. (bis) 299. 368. 567. 601. 624 (ter) 853. 955 &c.

Adnomina Adnominalia.

238. Dicimus, Niger, Nig-*ellus*; Alb-us, alb-*idus*; Dulc-is, dulc-*iculus*; Long-us, | *Multa Adnomina formant ex se alia Adnomina, veluti diminuta, in*-llus, *vel* -idus, *vel* | Talia vide § 51. 59. 80. 142. 152. 248. 373.

long-

long-*iusculus* &c. Schwartz-lich /	-iusculus. (*Germ. in* -lich.	377. 638. 728. &c.

Weiß-lich/ Süß-lich/ Läng-lich/ &c.

239. Ab Adnomine numerali (*Unus, duo, tres, quatuor, &c*) veniunt alia *numeralia Adnomina*, sex classium.

240. *Quotus*? (seu *quotumus*:) *Primus, secundus, tertius, quartus, quintus, sextus, septimus, octavus, nonus, decimus: vicesimus, centesimus, millesimus*, (der	(1) Ordinalia, *desinentia in* -us, -tus & -ésimus. (*Germanice in* -ste / *vel* te / *aut* -de.)	§237. 239. 543. 552. 564. 569. &c.

erste / andere / dritte / vierdte &c. hunderste/ tausende.) item *multesimus*, der vieleste.

241. *Quoti ordinis* est? Dic, *Primanus, secundanus, tertianus, quartanus, quintanus, sextanus, septimanus, octavanus, nonanus, decimanus*, seu *decumanus*, (Germ. der ersterehig/	(2) *desinentia in* -anus (*German. anper* -reyhig?)

der anderreyhig/ &c.

242. *Quoteni* simul incedunt? (zu wieviel?) *Singuli* (eintzeler weise) *Bini, trini* (seu *terni*) *quaterni*, &c. je zwey/ je drey/ &c. vel zu zweyen/ zu dreyen &c.	(3) Distributiva, *partitionem parem significantia, in* -ni (je- *vel* zu-)	§ 106 (bis) 216 (bis) 219 (bis) 575. &c.
243. *Quotuplex* quid sit, dic: *Simplex, Du-*	(4) Multiplicativa, *cōpo-*	§ 26. 84. (bis) 533.

plex &c. (wie vielfel-tig? Einfeltig/ zwey-feltig/ &c.)	*sitionem aut iterationem significantia*, *in* -plex, (*Germ.* -feltig.)	
244. *Quotuplex est?* Simplus, duplus, &c. (Wie vielfach? Ein-fach/ zweyfach/ &c.)	(5.) Proportionalia, *to-ties tantundem significan-tia*, *in*-plus (fach).	
245. *Quot differētia-rum est?* Multifarius, Plurifarius, Omnifa-rius. (Wie vielerley arten? vielerley/ Mancherley/ Allerley/ &c.)	(6) Differē-tialia, *in* -fa-rius (*Germ.* *in*-ley.	§ 628. 904

[NB. Ita Germani omnia possunt: Einerley/ Zweyerley &c. Sed Latini hîc deficiunt: quibus *Unifarius*, *Bifarius*, *Trifarius* &c. in usu non sunt.]

Adnomina Verbalia.

246. A verbis veniunt *Adnomina sextuplici* differentiâ.

247. *Amans*, der Liebende; *Amatus*, der geliebete: *Scri-bens*, der Schreibē-de; *scriptus*, der ge-schriebene.	(1) Participi-um, *significans eum qui aliquid agit aut patitur*, *in* -ns & -us: (-nd/ &ge-ete/ vel ge-en.)	§ 16. 21. 24, 32. 33. 39. 141. &c.
248. Properabun-dus, Eyl-fertig. Moribūdus, Sterb-fertig (vel Eylend/ Sterbend.)	(2) *Huic simile est à quibusdam Verbis formatum in* bun-dus, *significans eum qui nunc in tali actione est* (-fertig.)	§ 430. 500.

249. *Agibilis*, Thu-enlich: *Sensibilis* (vel *Sensilis*) Empfind-lich vel -bar) *Muta-bilis* Wandel-bar vel -ilis. (*Germ. in* -lich/ *vel* -bar.)	(3) *Tertium tribuitur illi rei, in qvam a-ctio exerceri potest, in*-bilis,	§ 72, 137 215, 479 500, 553 602, 605 647. &c.
250. *Activus*, Thätig/ (ge-Schäfftig): *Visivus*, Sichtig; *Fugiti-vus*, Flüchtig/ &c	(4) *Illius est, qvi talem actionem exercere potest, in*-ivus. (*Germ. in*-ig.)	§ 326. 765.
251. *Loqvax*, Schwatz-hafft: *Mendax*, Lügen-hafftig: *Mordax*: Beisig/ &c.	(5) *In*-ax *ejus est, qvi tali actio-ne gaudet.* (*Germ. in* - hafft / *vel* -hafftig/ -*vel*-ig)	§ 140, 146 185, 331. 430, 623. 649. 651. 839. &c.
252. *Amatorius*, Buhlerisch: *Scri-ptorius*, Schreibe-risch: *Venaticus*, Jägerisch: (*aut*, Bul-lied; schreib-feder, Jagt-hund/ &c.)	(6) *Pertinet ad rem, qvâ actor ad actionem utitur, in*-orius, *vel*-icus (*Germ.* -isch: *ma-lunt tamen hic Germani compo-nere.*)	§ 131 (bis) 357. 408. 810. 826. 847. &c.
253. Ab *Heri* fit hesternus, à *Cras* crastinus, à *Præ* pri-mus &c. (Gestern der Gestrige &c.)	*Etiam ab Ad-verbiis & Præ-positionibus qvi-busdam Adnomi-na fiũt, sed pauca.*	§ 30. 48. 194. 270. 272. 355. 583. 639. 465. 795. 915. &c.

Adno-

Adnomina Composita.

254. Fiunt sex modis. *Æqui-libris*, Gleich-wichtig. *Pusill-animis*, Klein-müthig/ &c.	(1) cum Nomine. (*Quod Germanice terminatur in* -ig)	§ 128. 238. 315 (quinquies) 380. (bis) 568. (bis) 636 (bis)
255. *Levi-fidus*, Leicht-Trew/ un-Trew) *Sacro-sanctus*, &c. (Gelb-roth/ licht-braun/ schwartz-grün/ &c)	(2) cum alio Adnomine. (*Quod Latinis rarum; Germanis frequens.*)	§ 19. 279 389. 764
256. *Magni-ficus*, Groß-thätig. *Tardi-gradus*, Lang-sam-gängig. *Falsi-loquus*, &c.	(3) cum Verbo. (*Sed Latinis rara sunt.*)	§ 128 141.
257. *In-doctus*, *Per-doctus* *Prae-dives*, *Sub-niger*. (un-gelehrt/ sehr Gelehrt/ &c.)	(4) cum assumta Praepositione, *In* (un-) *Per* (sehr) *Prae* (fast) Sub (was) &c.	§ 29. 159. 193. 213. 619. 644 692. &c.
258. *Imberbis*, (ohn-Bärthig) *Ex-sanguis*, (ohn-blutig) *Con-cors*, *Dis-cors*, &c.	(5) Ex Praepositione & Nomine.	§ 21. 47. 141. 180. 431 (bis) 492. 953.
259. *Umbri-fer*. (Schatten-bringend.) *Parti-ceps*. (Theil-hafftig) &c	(6) *Ex nomine & Verbo.*	§ 111. 116 132. 181. 825. 826 (bis) 867.

ADNOMINUM Flexio.

I.

Per tria genera: quod *Motionem* vocant.

260. *Bonus* Vir, Gutter Man. *Bona* fœmina. Gutte Fraw. *Bonum* animal. Guttes Thier.	*Omne Adnomen est generis trini, ut cuivis Nomini jungi queat.*	Exempla ubique obvia sunt.
261. Bon-*us*, *a*, *um*, Trist-*is*, *is*, *e*. Fel-*ix*, *ix*, *ix*.	*Sed Latinis alia sunt trium itidē terminationum; alia duarum; alia unius.*	Notum per se

Ein { gutter Man. / gutte Fraw. / guttes Thier.

der gutt'te Man. / die gutte Fraw. / das gutte Thier.

(*Germanorum* V. *Adjectiva omnia sunt trium terminationum, & omnia unius.* Trium, *quando precedit articulus indefinitus*, Ein: Vnius, *quando definitus*, der/die/das. (Hic n. quia generis characterem secum adfert, in Adnomine eum repeti nō permittit)

Observa.

262. Alb-*us*, *a*, *um*. Nig-*er*, *ra*, *rum*.	(1) *Desinentia in*-us & -er, *moventur per tres terminationes.*	§ 1. 2. 329. 407. 669 &c.

Ver-

Vet-*us*, *us*, *us*, *&c.*	*Excipe* (1) Vetus Intercus, Pauper Puber, Uber, Degener, Congener, Concolor, *&c. unius terminationis.*	§ 141. 491 514.
Ali-*us*, *a*, *ud*.	(2) Alius, *neutrũ habet in*-ud.	
263. *Tenuis* calamus, *tenuis* charta, *tenue* folium.	(II) *Exeuntia in* -is, *moventur per duas terminationes: masculinè & fœmininè per*-is, *neutrè per*-e.	§ 5. 11. 12 19. &c.
Dis, dis, dis.	*Excipe* Dis (*i. e. Dives*) *g. o.*	
264. *Vigil* Vir, *Vigil* fœmina, *vigil* mancipium. Sic *Nequam, Par, Memor, Cicur, Nostras, Dives, Compos, Sapiens, Inops, Solers, Velox* &c.	(III.) *Aliter terminata* (*nempe in*-il, -am, ar, or, ur, as, es, os, ns, ps, rs, x) *omnia sunt immobilia, i. e. unius tantùm terminationis.*	§ 47. 141. 514. 672. 676. 790. 839. 993. *&c.*
Excipe unicũ: Satur satura, saturum		
265. *Acer* (vel) *acris* Vir, *acris* fœmina, *acre* animal *&c.*	(IV) *Decẽ hæc.* Acer, Alacer, Celer, Celeber, Campester, Equester, Pedester, Saluber, Silvester, Volucer, *& trinâ efferuntur terminatione, & binâ, pro arbitrio.*	§ 97. (bis) 233, 259. 745. 796 848. 889

266. Hilar-*is, is, e*: vel, Hilar-*us, a, um*.

(V) *Quædam item alia, jam duabus jam tribus efferūtur terminationibus: licèt alia præ altera magis usitatè.*

Monet hoc suis locis Lexicō: ut in *Acclivis*, *Bijugus*, *&c.*

II.

Per tres gradus: quod *Comparationem* vocant.

267. Pulch-*er*, der Schöne / Pulchri-*or*, der Schönere. Pulcher-*rimus*, der Schönste.

Plerāq; Adnomina recipiunt Comparationem: *cujus gradus tres*, Positivus, Comparativus, Superlativus. (*Primus significationem ponit; secundus eam alteri comparans auget; tertius pluribus etiā comparatis præfert*)

268. Pulchri-*or*, -*or*, -*us*, Tristi-*or, or, us*, Felici-*or, or, us*, (der Schönere / die schönere / das schönere)

Comparativus *fit, adjectâ ad casum Positivi in* I *terminati, syllabā* -or, *pro genere masculino & fœminino*; us, *pro neutro.* (*Germanis Comparativus in* -er *desinit.*)

269. Pulcher-*rimus*

Superlativus *fit tripliciter.* (1) *Desinentibus in* -er, *apponitur* -rimus.

Alti- / Tristi- / Felici- } *ssimus*	(2) *Aliis loco comparativi* -or, *datur* -ssimus.
Facil (is)-*limus*. / *Humil* (is)-*limus*. / *Simil*(is)-*limus*. / Sic *Imbecillimus*.	(3) *Tribus in* -ilis *desinentibus, datur loco* -is -limus. [NB Vsurpant quidam sic & *Agillimus, Gracillimus, Docillimus*, sed s. a. v. Apud Senecam exstat *Imbecillimus*, quod Celso est *Imbecillissimus*.]
(der/ die/ das / Schönste: vel Allerschönste.)	(*Germani suis Superlativis*- ste *addunt*, *& subinde* Aller *præjungunt*.)

Observationes.

270. Benevol-*us*,-*entior*, -*entissimus*. Sic *Malevolus*. Itemq; *Benedicus* & *Maledicus* : *Beneficus*, & *Maleficus* ; *Magnificus* & *Mirificus*, & similia.	(I.) A Volo, Dico, Facio, *composita in* - us, *comparant per* -entior, entissimus. (*Nempe quia olim Positivus fuit*, Benevolens, Benedicens, Beneficiens, *&c. Addunt istis quidam composita à* Loqvor: Grandiloqvus, *&* Vaniloqvus, *sed s. a. v.*)
271. *Hestern-us*, -*ior*. *Campestr-is* -*ior* &c, non dicimus, quia res non patitur.	(II.) *Adnomina, quorum significatio augeri non potest, non comparantur : ut sunt* Temporis, Loci, Numeri, Possessionis, &c.

272. *Timend*-us, -ior, -issimus: *Idone* us, -ior, -issimus &c non dicimus, quia usus non patitur: sed *magis* & *maximè timendus*, *Idoneus*. Dico tamen: *Tenuior*, *tenuissimus*: *Strenuior*, *strenuissimus*.

(III) *Desinentia in* -dus, & -us *ac*-is *purum* (*h. e. ubi vocalis præcedit*) *non comparantur, nisi adjectione ad Positivum* magis & maximè.

Exc. Tenuis & Strenuus, *comparantur per* -ior -issimus. Pius *habet* pijssimus: (*alijs etiam* pientior (§ 960) *pientissimus* (§ 572 *sed f. a.v.*)

273. *Bonus*, *melior*, *optimus*.
Malus, *pejor*, *pessimus*.
Magnus, *major*, *maximus*.
Parvus, *minor*, *minimus*.
(Lucretius habet *parvissimus*.)
Nequam, *nequior*, *nequissimus*.
Nuperus, *nuperior*, *nuperrimus*
Posterus, *posterior*, *postremus*.
Vetus, *veterior*, *veterrimus*.
Multus, † *plurimus*.
multa, † *plurima*.
multum, *plus*, *plurimum*.

(IV.) *Quædā prorsus irregulariter cōparantur*.

(N. Antiqui dicebant *Optumus*, *Pessumus*, *Maxumus*, Iulius Cæsar mutavit -*V* in -*I*: quem imitamur.)

(Allegant è Cicerone *multissimis* curis (§ 862.) sed alij legunt *multis meis*.)

274 *Cœc*-*us*,-*ior*, † *Comis*, -*ior*, † *Iuvenis*, *junior*, *Senex*, *senior*, † *Servus*, *serior*, †
275. *Divers*-*us*, † -*issimus*. Ita *Falsus*, *Fidus*, *Inclytus*, *Invitus*, *Invictus*, *Meritus*, *Novus*, *Persuasus*, *Sacer*, *Sacrilegus*.

(V) *Quædam deficiunt Superlativo*.

(VI) *Quædam rursum carent comparativo*.

276. † *Citerior, citimus.* † *Ulterior, ultimus.* † *Interior, intimus.* † *Deterior, deterrimus.* † *Ocior, ocissimus.* † *Prior, primus.* † *Propior, proximus.* † *Anterior,* †.

(VII) Quædã sine Positivo sunt.

277. *Exterus, exterior, extremus;* & *extimus. Inferus, inferior, infimus;* & *imus. Superus, superior, supremus;* & *summus. Posterus, posterior, postremus;* & *postumus. Maturus, maturior, maturissimus;* & *maturrimus.*

(VIII) Quinque hæc Superlativo abundant.

278. *Proximus, proximior.*
Postremus, postremissimus.
Extremus, extremissimus.
Minimus, minimissimus.

(IX) Quædam ipsum etiam Superlativum novo (Comparativo (aut Superlativo) augent.

III.

Per tres Declinationes.

279. Adnomina cum suis Nominibus declinantur, quædam in prima Declinatione, alia in secunda, & tertia.

[N. Slavi habent peculiarem Adnomina declinandi formam, à Declinationibus Nominum prorsùs separatam. Germani tantùm loco er & es/ ponunt en: frommer Mann/ des frommen Mannes &c.]

280. *Bon-* { *us* calamus. / *a* charta. / *um* atramentũ

Adnomina terminationis trinæ, sunt primæ & secundæ Declinationis.

Sed: *Un-us,a, um.* Gen. *-ius*, g.o. Dat. *-i*, g. o. Acc. *-um,am, um*, &c. *Uterque, utriusque, utrique, utrumque, &c.*	*Exc.* (1) *Novē hac,* Unus, Ullus, Nullus; Uter, Neuter, Alter; Alius, Solus, Totus; *Genitivum faciunt in* -ius, *Dativum in* i, *in omni genere: sicut & illorum composita*; Uterque, Utervis, Utercunq;, Alteruter.	§ 3.61. 657.671. &c.

Obs. Terentius tamen dixit, *Nulli consilii* (pro, nullius) *Narrare altera* (pro, alteri) Dicimus & *generis neutri* (pro neutrius.)

281 *Tenu-is,is,e*	*-es,es,ia.*	*Adnomina binæ terminationis declinantur juxta tertiam: faciuntq; Ablativum in* - i, *Genitivum pluralem in* -ium.
Gen. *-is.*	*-ium.*	
Dat. *-i.*	*-ibus.*	
Acc. *-em,em,e*	*-es,es,ia*	
Abl. *i.*	*-ibus.*	

Ovidius tamen dixit, Specie *cœleste* (pro, cœlesti) resumtâ. Seneca *Letale* (pro, letali) ferro. Cic. A *nobile* viro.

Exc. Apud Poëtas reperitur Ablativus per *-e*, metri causâ: quod Cicero semel imitatus.

282. Adnomina unius terminationis declinantur (similiter) in tertia. Excepto quòd

Felic-e, vel *-i.*	(1) *Ablativum faciunt in* -e, *vel* -i.
Memori mēte, *Pari* ratione, *Artifici* manu.	(2) *Hæc tamen quatuor*, Memor, Par, Vigil, Artifex, *tantùm per* -i.
Paupere, *Se-*	(3) *& quinq; alia*, Pauper, Sene, *Co-*

ne, Come, &c.	nex, Comes, Hospes, Sospes, *tantùm per* -e. *Utraq; a. hæc posteriora Genitivum pluralem in* -um.
Memorũ, Pauperum, &c. (& *Parium*.)	*Excipe* Par-ium.
283. *Doctior* -e, vel *i*. *Doctior-um*. (& *Plur-ium*)	*Comparativi Ablativum faciunt per* -e, *vel* -i. *Genitivum pluralem per* -um. *Excipe*, Plurium. (*Quod & Nominativo habet* Plur-a, & ia.)
284. N. *Nequam*. G *Nequam*. D. *Nequã*. Acc. *Nequam* &c. sine casu sunt. *Quot* viri? *quot* virorum? *quot* viris? *quot*	*Quædam sunt indeclinabilia: ut* Neqvam, Qvot, Tot, Aliquot, Totidem. *Et Numeralia cardinalia, à qvatuor ad centum inclusivè.* (*NB. Indeclinabilitas hæc Slavis incipit in Quinque, Germanis mox in tribus. Dicimus enim*, Ein-er/e/es: Zween/ zwoo/ zwey: drey/ *&c, g. o.*)

viros? &c. *Quatuor* Viri, *qvatuor* virorum, *qvatuor* viris &c.

Adnominis in Nomen transformatio.

285. *Eqvile* (sc. stabulum): *Nova* (i. e. res novæ) *Bona & mala* (sc. negotia.)	*Adnomen sæpè nominascit: cùm sine Nomine positum, Nominis vicem sustinent.*

286. *Januarius, Aprilis, September, &c,* sunt g. m. quia intelligitur *mensis*, quod g. m. est. *Vocalis*, & *Consonans*, g. f: quia intelligitur *litera*. *Biremis*, & *Triremis*, g. f. quia navis. *Aromatites*, g. m. quia intelligitur οἶνος, i. e. vinum. Hæc *Bipennis* (sc. securis): hic *Infernus* (sc. locus) *Quadrupes* est g. n. quando intelligitur *animal*: sed g. f. quando *bestia*. Ovidius v. dixit, *Animosos quadrupedes regere*; quia intellexit *equos*. Et Virgilius, *Saucius at quadrupes*, i. e. Cervus.

Obs. 1. *Adnomen Nominis loco usurpatum, ejusdem est generis, cujus subintellectum Nomen.*

287. *Omnia*, Alles, vel, alle ding. *Bona & mala*: Gutt und böses: vel gutte und böse ding &c.

Obs. 2. *Adnomen collectivè usurpatum (pro multis talibus) ponitur Latinè in genere neutro, numero plurali; vernaculè a. singulari, aut plurali cum adjectione nominis* ding.

XXVI.
PRONOMINUM formatura.

288. Pronomina propriè dicta (i. e. Nominum vicaria, eôq; generis unius) non sunt nisi qvinque: Interrogativa duo, *Qvis*? (de persona, Wer?) & *Quid*? (de re, Was?) cum

Bibl. Jesu

Demonstrativis tribus, *Ego*, *Tu*, *Sui*.
[Græcis est sextum, ὁ δεῖνα quispiam.]

289. Reliqua sunt trium generum, eoque non Nominum sed Adnominum vicaria: quorum disce (1) *Motionem*, (2) *Declinationem*.

290. *Quis* (& *qui*) *quæ*, *quod*. (Welch-er/e/es.) *Is*, *ea*, *id*. *Hic*, *hæc*, *hoc*. *Ipse*, *ipsa*, *ipsum*. *Ille*, *illa*, *illud*. *Iste*, *ista*, *istud*. *Cujas*? *Nostras*, *Vestras*, g. o.

291. *Meus*, *Tuus*, *Suus*, declinantur sicut *Bonus*: *Noster*, & *Vester*, sicut *Pulcher*: *Nostras* & *Vestras*, ut *Civitas*.

(1) *Motio plerorumque irregularis est*. Regulariter hæc. *Me-us*, *a*, *um*. *Tu-us*, *a*, *um*. *Su-us*, *a*, *um*. *Nost-er*, *ra*, *rum*: ita, *Vest-er*, *ra*, *rum*.

(2) *Declinationem irregularium vidisti in Vestibulo*: *Possessiva & Gentilia regulariter declinantur*.

[Obs. *Meus* Vocativum habet *mi*, ab antiquo *Mius*.]

292. *Quisquis*, *Cujuscujus*, *cuicui*, &c. *Aliquis*, *alicujus*, *alicui*, &c. *Egomet*, *meimet*, *mihimet*, &c

293. *Ipsissimus*.

Compositũ Quisquis *utrumque declinat*: *composita v. cum Adjectionibus*, *sola tantùm*. *Unicum inter Pronomina superlativũ recipit*.

XXVII.

VERBORUM formatura, 295 derivando, 301 componendo, 307 flectendo.

294. Ver-

294. Verba primitiva (Latinis) sunt propè 500: sed à *Nominibus*, *Adnominibus*, *Verbis*, veniunt longè plura. Ex.gr.

295. A *Lapis* venit *lapidare* Steinigen/ & *Lapidescère*, zu Stein werden/ &c.	A Nominibus *formantur Verba activa*, *in* -are; & *passiva in* -escĕre.	§ 80. 92. 188. 259. 278. 288. 383. 538. 657. 775. 830. 912. &c.
296 Ab *Albus*, fit *Albére*, *Albare Albescere*: schwartz sein/ schwartz machen (schwärtzen; schwartz werdẽ/ ꝛc.	Ab Adnomine *veniunt Verba in* -ére *substantiva*, *in* -áre *activa*, *in* escere *passiva*.	§ 69. 193. 272. 291. 292. 444. 482. 535. 564. 581. 770. 851. 943. &c.
297. Ab *Edo*, *Bibo*, *Canto*, *Salto*, &c, formantur *Esurio*, *Bibiturio*, *Cantaturio*, *Saltaturio*, &c: Mich essert/ mich trinckert/mich singert, mich täntzert/ &c.	A Verbo *sæpissimè derivatur aliud Verbum* (1) Desiderativum (*actionis desideriũ significans*) *in* -ŭrire. (*Germ.* mich -ert: *ut alicubi loqui amant.*)	§ 273. 622.
298. A *Labo*, *Ferveo*, *Tremo*, fiunt *Labasco*, *Fervesco*, *Tremisco* (h. e. incipio labare &c)	(2) *Tum* inchoativum, (*initium passionis denotans*) *addito ad secundã præsentis personã*	§ 35. 58. 69. 72. 79. (bis) 130. 180. 284. 378. 589. 638. &c.

Fallend werden / Siedend werden &c.	-cēre. (*Germ. per* -nd werden)	
299. A *Cantáre* & *Sorbére*, fiunt *Cantillare*. Singelen / *Sorbillare*, Trinckelen / &c.	(3) *Sapè & Di*minutum *Verbū* (*minutulam actionem innuens*) *in* -lare. (*Germ. in* -elen: wie man mit den Kindern zu lallen pfleget.	§ 141.
300. A *Clamo*, *Prehendo*, *Necto*, fiunt *Clamitare*, *Prehensare*, *Nexare*, &c. Pflegē zu schreyen/Greiffē/Binden/ &c. &c.	(4) *Sapissimè a.* Frequentativum (*crebrò iteratam actionē designans*) *in* -tare, -sare, -xare. (*Germ. per* Pflegen zu ..)	§ 139. 148. 178. 272. 309. 358. 436. 591. 623. 676. 807. 859. &c.

301. *Compositi Verbi quinq; sunt species.* Componitur n. Verbum cum præmisso (1) *Nomine*, (2) *Adnomine*, (3) *Verbo*, (4) *Adverbio*, (5) *Præpositione*.

302. *Belli-gerari*, (Krieg führen)/ *Fœti-ficare* (junge hecken) &c. *Jure-jurare*, Eyd schweren.	(1) *Nomen Verbo præmissū desinit in* -i. *Exc.* Jure-jurare. *Germani hæc non cōponunt, separata relinqunt.*)	§ 119. 136. 395. 451. 484. 629. 951. &c.

303. *Æqui-pollére*, gleich gelten. *Forti ficare.* Befestigen/ &c.	(2) *Adnomen Verbo præmissum terminatur in* -i. (*Etiam his Germani carent.*)	§ 245. 317. 579. 602. 668. 692. &c.
304. *Ferve-facere* (i. e. fervere facere, Süttig heiß machen) *Mansvefacere* (facere, ut quid mansvescat) &c.	(3) *Verbum Verbo præmissum desint in* -e.	§ 156. 809. (duo) 961. 991. (passivè.)
305. *Fabre-facere.* (Künstlich würcken) *Malle*, (pro, magis velle) &c.	(4) *Verba cum Adverbio composita rara sunt.*	Vide tamen § 176. 502. 664. 743.
306. *Ad-Jungere*, *con-Jungere*, *dis-Jungere*, &c. Zu- Bey- von einander- Fügen/ &c.	(5) *Verba cum Præpositione composita frequentissima sunt.*	Horũ omnia ubiq; plena, in Lexico & Textu.

[Græcis puta, Latinis, Germanis, Slavis, &c: quô componendi artificio qui carent (ut Hebræi &c) pauperes sunt. Vide infrà, Capite de *Præpositionum Formatura.*]

307. Inter omnes Voces variabilissimum est VERBUM; flectendum, communiter per *Numeros* & *Personas*; propriè per *Tempora*, *Modos*, & *Conjugationem*.

De Verborum Personis & Numero.

308. Fac-*io, is, it: -imus, itis, iunt.* Ich Thu-e/ -st, t: wir -n/-t,-n/	*Ut ostendas, sitne actio (de qua loqueris) tua, an illius quem alloqueris, vel tertij cujuspiã, inflectas necesse est Verbi terminationem secundùm* Personas, *primam, secundam, tertiam, utroq; numero.*

De Verborum Tempore sextuplici.

309. Ut ostendas, sitne actio *præterita*, an *præsens*, vel *futura*, inflectas oportet Verbum secundùm terminationem diversi *Temporis*; quod sextuplex est.

[Intellige Latinis, ut & Germanis.]

Facio; ich Thue.	(1) *Præsens* (Gegẽwertig)/ quô aliquid nunc *fieri* significatur.
Faciebam: ich Thate.	(2) *Præteriens* (vergehẽd)/ quô aliquid *in fieri fuisse* notamus.
Feci: ich hab geThã.	(3) *Præteritum* (vergangẽ)/ quô aliquid *jam esse factum* ostendimus.
Feceram: ich hatte gethan.	(4) *Ante-præteritum* (Schon damals vergangen)/ quò aliquid *jam tùm fuisse factum quũ aliud fieret*, exprimimus.
Faciam: ich wils Thun:	(5) *Futurũ* (Zukünfftig)/ quô *actio* simpliciter *promittitur*.
cùm *Fecero*:	(6) *Futuro-præteritum* (Künff-

wenn

wenn ich werde | tig vergangen) quô *peractio*
gethan haben. | *producitur.*

[Obs. Horum tria dicuntur (& sunt) *Tempora imperfecta*, quibus aliquid *agi* significatur: ut, *Facio, Faciebam, Faciam*: totidem *Tempora perfecta*, quibus aliquid *peractum* innuitur, ut, *Feci, Feceram, Fecero.*

N. *Fec-eram*, i. e. *eram* in eo statu, ut dicere possem, *Feci*. *Fec-ero*, h. e. *ero* in eo statu ut dicere possim, *Feci*. Vulgò *tempus præteriens* vocant, sed obscurè, *Præteritum imperfectum*; *antepræteritum* autem, *Præteritum plusquàm perfectum*.]

De Verborum Modis qvatuor.

310. *Modus*, est peculiaris Verbi terminatio, secundùm diversam aliquid dicendi intentionem. Aliter quippe dicendum est, quando actionem_.

- indefinitè nomino: *Facere*, Thun.
- impero: *Fac*, Thue (das)
- indico, seu narro: *Facis*, du Thust.
- alteri actioni subjungo: Dico ut *Facias*, daß du Thust.

311. *Qvatuor* itaque sunt (apud Latinos) *verborum Modi*, (I) *Infinitivus*. (II) *Imperativus*. (III) *Indicativus* (IV) *Subjunctivus*, qvi & *Conjunctivus* dicitur.

[Obs. 1. Primum vocamus INFINITIVVM, quia nullam personam aut numerum definit: reliquos FINITOS, quia personas & numerum definiunt, seu exprimunt. (*)

Obs. 2. Finiti duo modi necessarij sunt. Lingvis omnibus, *Imperativus* & *Indicativus*: *Subjunctivum* addiderunt Græci, ornatûs causâ. Qvos imitati sunt Latini, & Germani; non item Orientales, & Slavi, Angli, &c. Sed & quintum sibi fabricârunt Græci, *Optativum*. (*)]

(*I*) De

(I) *De Infinitivo* (ter trino apud Latinos.)

312. Infinitivus (Latinis) triplex est, *Perpetuus, Gerundivus, Supinus*: ut *Facere, Faciendo, Factu* necessaria. (*)

[Gerundia & *Supina* aliæ lingvæ ignorant.]

313. *Perpetuus*, tametsi numerum & personas non habet, habet tamen Tempus, ac proinde triplex est: Temporis *præsentis, Facere*, (Thun); *Præteriti, Fecisse*, (ge Than haben); & *Futuri, Factum ire* (*) seu *Facturum esse* (Thun wollen/ oder sollen: vel, zu Thun willens seyn.)

[*Obs. 1.* Orientales & Slavicæ lingvæ non habent nisi unum Infinitivum, verè Infinitivum, ut numeri & personarum, ita & temporis, expertem.

Obs. 2. Infinitivus futuri (Latinis) duplex est, uterq; periphrasticus, *à Supino formatus*: sed posterior est usitatior, & quô ubiq; uti licet, non item priori. Nam tametsi rectè dicas *Cœnatum ire*, seu *Cœnaturum esse*: haud tamen rectè, *Ventum ire*, sed tantummodo, *Venturum esse*. Rursum autem: prior usurpatur ut verè Infinitivus, sine personarum & numeri discrimine; posterior numerum, personas, genus, discernit, tanquam Participium. Dico enim: Ajunt *cœnatum ire* patrem, matrem, cognatos aut cognatas; supino illo, *cœnatum*, invariato. At si utor participio, *Cœnaturus*, variandus est numerus & genus: Ajunt *cœnaturum* esse patrem, *cœnaturã* matrẽ, *cœnaturos* cognatos &c. (*)]

314. Gerundium (seu *Infinitivus gerundivus*) recipit Nominum more Casus; *Faciendum, i, o*, (*)

[Sanè quidem Græci quoq; ac Germani Infinitivos suos decli-

declinant, ſed vi articuli præmiſſi: quò quia Latini non utuntur, flectunt finalem terminationem *-re*, in *-ndum* mutato, ac declinato, ſic.

Nom. & Acc. πράττειν ἐςὶ (ſeu πρακτέον ἐςὶ) Es iſt zu Thun: *faciendum* eſt.

Gen. τοῦ πράττειν ἕνεκα: des Thuns halben/ *Faciendi* cauſâ.

Dat. & Abl. τῷ πράττειν, in dem Thun/ *Faciendo*.]

315. *Supinum* (ſeu Infinitivus reſupinatus) itidem habet caſum, *Fact-um* & *-u*. (*)

[*Factum*, Accuſativus eſt: *Factu*, Ablativus. *Factum ire* (h. e. ad factum) Gehen zu Thun. *Factu redire* (i. e. à. *factu*) vom Thun wiederkommen.]

(II) De Imperativo.

316. Unicum habet tempus (apud Latinos), perſonasque duas, ſecundam & tertiam (quippe ſibi ipſi nemo imperat) *Fac*, vel *facito* tu; *Facito* ille: Plur. *Facite*, ſeu *Facitote*, *faciunto*.

[Obſ. Quaſi tamen *Imperativi obtinet vim Subjunctivus futuri* (inperfecti aut perfecti) ſine alio Verbo & Conjunctione uſurpatus: *Facias*, Thue; *Faciat*, laß ihn Thun; *Feceris* Stehe daß du Thuſt. Eſt tamen hîc reverà ellipſis alterius Verbi: de qva infra, §]

(III) De Indicativo.

317. Habet omnia tempora, omnesq; perſonas, ut vel ſolus orationis ſenſum abſolvat.

(IV) de Subjunctivo.

318. Habet ſimiliter omnia tempora & perſonas, ut Indicativo ubicunque junctus ſerviat.

[Quod in Syntaxi Sententiarum videbis.]

De Verborum Conjugatione.

319. Verbi per Modos, Tempora, Personasque flexio, *Conjugatio* dicitur.

320. *Incipit ab Infinitivo*: quia is *modus* (1) *simplicissimus* est, sine personis & numero. (2) idipsum est in Verbo, quod in Nomine casus primus, *Nominativus*. (3) Fert secum cōjugationis *characterem*: ut audito Infinitivo, scias mox formare Imperativū, & reliqua. (*)

321. Atque ut totius Verbi Conjugatio procedat, utiliter ponitur trinus simul Infinitivus: ut *Am-are, -avisse, -atum ire.*

[Ratio est. Quia ab Infinitivo præsenti formatur (1) Imperativus; (2) Indicativi & Subjunctivi *Tempora imperfecta*: ab Infinitivo a. præterito *Tempora perfecta*: ab Infinitivo deniq; futuro *Tempora perfecta Formæ secunda.* Vide Tabellam hanc.

Infinitivo:	AM-are	- avisse	- atum ire
Imperativo:	-a.		
Indicativo:	-o.	- avi,	- atus est.
	- abam,	- averam.	- atus fuit.
	- abo	- avero.	- atus erit.
Subjunctivo:	- em,	- averim.	&c.
	- arem	- avissem.	]

322. Infinitivum seqvitur (in Conjugatione) *Imperativus*, qvia immediatè *ab Infinitivo præsenti formatur*, abjecto *-re. Ama* (re) *Doce* (re) *Lege* (re) *Audi* (re)

[*Dic* sine fine preces, vacuam *duc* crimine vitam: *Fac* sapienter opus, *fer* patienter onus.

Excipe quatuor Imperativos (Conjugationis tertiæ) qui etiam *e* abjiciunt. Composita tamen à *Facio* retinent *-e*, *Effice*, *Confice* &c. Apud Plautum simplicia quoque occurrunt, *Face*, *Duce*, &c: sed imitandum non est.]

323. Inde est *Indicativum*, tandem *Subjunctivus*, qvia ille communis est Lingvis omnibus solusq; etiam usurpari potest, hic multis Lingvis ignotus, usurpariq; nisi cum Verbo indicante non potest.

Conjugatio Verbi Substantivi, SUM.

324. Peculiaris est (omnibus in Lingvis) cæterorum Verborum veluti clavis ac ostium, ut in Vestibulari Grammatica vidisti: nunc duo observa.

325. (I) Esse, cum omnibus suis compositis, caret *Gerundijs*, *Supinis*, *Participijs*: præterquam *Præsens* & *Absens*; *Futurus*, *Absfuturus*, *Profuturus* &c.

326 (II) Inter composita ejus duo sunt, de qvibus aliquid monendum. Nempe quòd (1) *Pro sum*, sequente vocali interponat *d*: *Prod-esse Prod-eram* &c. (2) *Pos-sum*, compositum ex *Pot* (i. e. Potis) & *Sum*, ultimum illud *t* ante vocalem retinet (*Pot-eram*); sed ante *s* mutat in *s* (*Pos-sumus*); ante *f* verò elidit *f* (*Pot-ui*, pro, *Pot-fui*.)

Aliorum Verborum Conjugatio quaterna, Formaq; bina.

327. Conjugationes Verborum qvatuor sunt Latinis: quarum characteres sunt (1) *a* longum. (2) *e* longum, (3) *e* breve, (4) *i* longum. Habet a. quælibet *Formas duas*, primam & secundam.

328. In Forma prima conjugantur. (1) *transitivo-activa*, pleraque, (ut *Amáre*, *Monére*,

Trange

Tangĕre, Audire: quæ mox in Forma secunda transeunt in *transitivo-passiva.* (*Amari, Moneri, Tangi, Audiri.*) (2) *Intransitivo-activa* multa (*Stáre, Sedére, Flúere, Veníre*) (3) multa item *Intransitivo-passiva*, nempe *Inchoativa* omnia, passionem nescio unde venientem significantia, ut *Calescere. Frigescere*, &c.) (4) Quatuor denique *Transitivo passiva* (*Fio, Veneo, Liceo, Vapulo*; h. e. Facior, Vendor, Taxor, Verberor, ab aliquo.)

329. In forma secunda conjugantur (1) Primariò quidem *Transitivo-passiva* (*Amari, Moneri, Tangi, Audiri, ab aliquo.*) (2) *Transitivo activa multa*: ut *Hortari* aliquem. (3) Multa item *Intransitivo-activa*: ut *Grassari.*

[Obs. *Transitivo-activa* illa olim usurpabantur (in eâdem illa secunda Forma) *transitivo-passivè* etiam (*Hortari aliquem*, einen Vermahnen; &, *Hortari ab aliquo*, von einem Vermahnet werden.) Sed qvia progressu temporis significationem passivam deposuerunt, jamq; ferè activè duntaxat usurpantur, Verba DEPONENTIA dicta sunt.]

Variationes quædam in Forma I.

330. Verborum 23. Præterita reduplicant syllabam primam: ut *Mordeo, momordi* &c.

[Sed Composita illorum à reduplicatione cessant: *Pendo pependi, Suspendo suspendi*, (non suspependi) Venientia tamen *à Do, Sto, Disco, & Posco*, reduplicationem retinent Pedi, addidi; Didici, addidici &c. Sed & alia qvædam: quod suis locis monebitur.

331. Præterita in- *avi* & -*evi*, elidunt aliquando medium illud *V*, etiam cum sequente vocali,

cali, sic: *Amavisti*, vel *amâsti*; *amavistis*, vel *amâstis*; *amaverunt*, vel *amârunt*. *Petivi*, & *petii*; *petivisti*, *petiisti*, & *petîsti* &c.

332. Eadem præterita in tertia plurali *-erunt*, in *-êre*: *Petiverunt* vel *petivere*; *Petierunt* vel *petiêre* &c.

Variatio in Forma II.

333. Infinitivo in *-ri*, vel (tertiâ Conjugatione) *-i*, Poëtæ quandoque addunt *-er*: *Amari-er*, *Moni-er*, *Legi-er* &c.

334. Imperativi personæ pluralis secunda habet pro *-mini* etiam *-minor* (*Ama-mini* werdet geliebet/vel *Ama-minor*.) Utitur his Plautus, sed habentur inter obsoleta.

335. In modo Indicativo & Subjunctivo personæ secundæ singulares contrahunt *-ris*, in *-re*: *Loqueris* vel *loquere*; *loqueb-aris*, vel *-are* &c.

336. Præterita Formæ secundæ circumscribuntur per *participium præteritum*, cum Verbo *SUM*, eoque genus etiam observant; *Loquutus sum* (sc. vir) *loquuta sum* (scil. fœmina.)

De Tempore Cardinali trino, omnium Conjugationum.

337. Conjugationis cujusvis clavis est *cardinale Tempus trinum*; nempe *Præsens*, *Præteritum*, & *Supinum* (ut Po-no, Po-sui, Po-situm.) Sive, ut suprà posuimus (§ 322) *Infinitivus*

tivus trinus (Po-*nere*-ſuiſſe-itum eſſe. His n. præcognitis, reliqua fluunt, ut oſtendimus ibidem.

[N. B. *Græcis*, *Germanis*, *Slavis*, tria itidem ſunt cardinalia Tempora, ad rectè conjugandum Verbum qvodvis præſciri neceſſaria: ſed ſingulis diverſa. Græcis eſt *Præſens Futurum*, *& Præteritum*, Τύπτω, τύψω, τέτυφα. Germanis *Præſens*, *Præteriens*, & *Præteritū* ich Stehe/ Stund/ bin geſtanden. Slavis, *Præſens*, *Præteritum*, & *Freqventativum*: Wedu/ wedl/ wodjm.]

338. In *Deponentibus* tamen (quia *Præteritum* circumſcribitur per Supinum, ut vidiſti § 337) ſufficit præſciſſe *Præſens* & *Supinum*: ut *Nanciſcor*, *Nactus ſum* (ſive, *Nanciſci*, *Nactum eſſe.*)

De Temporibus Cardinalibus Conjugationis I^æ^

339. Spectant ad hanc Conjugationem Verba primitiva circiter 50; derivatorum a. ingens numerus (ut ſunt Denominativa, *Albare*, *Vocare* &c, cum omnibus *Frequentativis* & *Diminutivis*, § 300 & 301.)

340. Horum omnium cardinalia tempora ſunt in -*o*-*avi*-*atum* (ſive- *are* -*aviſſe*-*atum ire*) Exceptis tantùm 18.

341. CVB-O- ui-itum. CREP-o,-ui-itum. (*Sic* & compoſita. Excepto, Increp-ui-itum; & avi, atum, quando Objurgare ſignificat.

342. Do, dedi, datum: Sic & Circumdare, Peſſumdare, Satisdare, Venundare. (Solum enim hoc Verbum Conjugationis primæ habet *a* breve) Cætera ejus compoſita fiunt Conjugationis tertiæ, per *e* breve; Abdere, Addĕre &c.

DOM

343. DOM-o-ui-itum. FRIC-o-ui -tum. IV-vo-vi-tum. LAB-o †† (h. e. caret Præterito & Supino). LA-vo-vi-vatum, & lautum, & lotum. MIC-o-ui-atum (Sed Dimic-ui & -avi.)

344. NEC-o-avi-atum. (Sed Enec-avi-atum; & -ui-tum. InterNec-ui-tum) NEXO ††

345. PLIC-o-ui-itum; & -avi † (Sed Composita in -ui-itum; & -avi-atum. *Explicare* tamen, quando *declarare* significat, tantum-avi-atum. Cætera ab Adnominibus in-*plex* orta regularia sunt: Duplic-avi, triplicavi; supplicavi &c. POT-o-avi-atum, & -um.

346. SEC-o-ui-tum. SON-o-ui-itum. ST-o-eti-atum. (Sed Præst-o iti-itum, & -ātum: ut & cætera composita.)

347. DEPONENTIA hîc sunt plurima, omnia regulariter conjuganda: Adulari, Æmulari &c.

De Temp. cardinalibus Conjugationis II.

348. Pertinent hûc omnia Verba in -*eo* desinentia (*Doceo, Moneo* &c) exceptis quatuor primitivis, *Beo, Meo, Creo, Screo*; & derivatis aliquot à Nominibus in -*eus* (ut Calceare, Malleare, Enucleare &c) quæ sunt primæ.

349. Cardinalia hîc desinunt in -*eo-ui-ĭtum*. *Recedunt tamen ab analogia hæc, quæ seqvuntur*, 84. (*)

350. AC eo,-ui † AL geo,-si,-sum. ARC-eo,-ui, † (sed Coërc-eo, ui, itum.) AR-deo,-si,-sum. AR-eo, ui † AV-deo, sus sum. AV-geo, xi, ctum.

351. CALL-eo,-ui, † CAV-eo,-i,cautum. CENS-eo,-ui, -um. (Sic Accenseo, Succenseo &c. sed Recens eo,-ui,-um & -itum.) CI eo,-vi,-tum. CLAR-eo,-ui, † CONNI veo, -vi & xi, †

352. DELE o,-vi,tum. DOC-eo,-ui,-tum. EG-eo, ui. † EMIN-eo,-ui, † *Sic & Promineo & immineo.*

353. FA-veo,-vi, fautum. FER-veo,-vi, & -bui † FLOR-eo, -ui † FO-veo,-vi, -tum. FLE-o,-vi,-tum. FRI-geo,-xi. † FVL-geo,-si, -sum.

354. GAV-deo, gavisus sum. HÆ-reo, -si,-sum. HORR-eo, -ui, † INDVL-geo, -si, -sum. IV-beo, ssi,-ssum.

355. LANGV-eo, -ui, † LIQV-eo, -ui, † LIV-eo, -i, † LV-ceo,-xi- † (Sed Pollu-ceo,-xi, ctum.) LV-geo,-xi,-ctum.

356. MAD-eo, -ui, † MAN-eo, -si,-sum. MIS-ceo, -cui, -tum & mixtum. MO-veo,-vi, tum, MORDeo, momordi, morsum. MÆR-eo, † † MVL-ceo, si,-sum. (*Sed Permulsum & ctum.*) MVL-geo,-si, (& antiquè -xi)-ctum.

357. NE-o, -vi, -tum. OLE-o,-vi,-tum; (*sic & composita. Excipe* Ab-Ex-In-Obs-oleo,-evi, -etum. ADOL-eo,-ui & -evi: *sed Supinum, cùm* reichern *significat, habet* adolitum: *cùm* Auffwachsen/ adultum.)

358. PALL-eo, -ui, † PAT-eo,-ui, † PAV-eo, -i, † PEN-deo, pependi, † PLE-o,-vi-tum (*nempè in compositis* Compleo, Expleo &c.) PRAN-deo, -di, -sum.

359. RAVC-eo, -ui, † RENID-eo,-ui, † RI-deo, -si, sum. RIG-eo, -ui, † RVB-eo, -ui, †

360. SE-deo,-di, ssum SIL-eo,-ui, † SORB-eo,-ui,-itum & sorpsi,sorptum. SPLEND-eo, -ui, † SPON-deo, spopondi, -sum. STRID-eo, -i, † STVD-eo, -ui,† STVP-eo,-ui,-† SVA-deo, -si, -sum.

361. TAC-eo, -ui, -itum. (*Sed Con-& Reticeo, Supino carent.*) TEN-eo,-ui,-tum. TER-geo,-si,-sum. TIM-eo, -ui, † TON-deo,totondi,-sum. TORP-eo,-ui, † TOR-queo, -si,-sum & -tum. TORR-eo, -ui, tostum. TVM-eo,-ui, † TVR-geo, -si †

362. VR-geo,-si, -sum. VI-deo, di-sum. VI-eo, -evi, -etum, (*Vel* ētum.) VIG-eo, -ui, † VO-veo, vi-tum.

363. Deponentium hæc quinque variant. FA-teor, ssus. MEDEor, † MISER-eor, tus. REor, ratus. TV-eor, -itus,

Tempora cardinalia Conjug. III^æ.

364. *Spectant huc Verba primitiva supra ducenta.* (1) *Inchoativa in* sco *omnia.* (3) *sex in* -esso, (*De quibus* § 392.

365.

365. ***Primitivorum præterita & supina admodum variant. Recensenda proinde erunt omnia.***

366. ACV-o, -i, -tum. AGo, egi, actum. (*cum compositis*, Abigo, abegi, abactum &c. Sed Dego, Prodigo, Satago, *Supino carent* : Ambigo, *etiam præterito*) AL-o, -ui, -itum, & tum AN-go, -xi, † ARGV-o, -i, -tum.

367. BIB-o, -i, -itum, CA-do. cecidi, -sum. (Occido, occîdi, occâsum. Ita In-&Re-cido. *Reliqua cōposita s. c. hoc est, supino carent.*) CÆdo, cecîdi, sum. (Occî-do, -di, -sum: *sic cætera composita.*)

368. CAN-o, cecini, -tum. (Accin-o, -ui, accentum. *Sic reliqua composita.*) CAP-io, cepi, -tum, (Ac-cipio, -cepi, -ceptum) CARP-o, -si, -tum.

369. CE-do, -ssi, -ssum. CELLO. † † *Sed composita*, Ante-Præ-cellui. † Sed Percello, perculi, perculsum.) CEN-do, -di, -sum : (in Ac-Suc-cendo.) CERNo, crevi, cretum

370. CIN-go, -xi, -ctum. CLAN-go, -xi, † CLAV-do, -si, -sum. CLEP-o, -si, -tum. COL-o, -ui, cultum. COM-o, -si, -tum. CONSVL-o, -ui, -tum. CO-quo, -xi, -ctum. CRED-o, -idi, -itum. CRE-sco, -vi, -tum. Cu-do, -di, -sum. Cu-mbo, -bui, -bitum (*in compositis.*) CVPI-o, -vi, -itum. CVR-ro, cucurri, -sum : (De-Ex-Præ-Pro-Per-cucurri & curri: sed Ac-In-Re-Suc-curri tantùm.)

371. DEPS-o, -ui, -itum. DI-co, -xi-ctum. DISCo, didici, † *Sic composita* : Addidici &c. DIVI-do, -si, -sum. DV-co, -xi, -ctum. DV-o, i, -tum.

372. EDo, edi, esum. EM-o, -i, -tum (seu-ptum.) *Sic & composita* Excipe DEM-o, -si, -tum.

373. FA-cio, feci, -ctum. (Afficio, affeci, affectum, &c. NB. Facior, *passivè non usurpatur, sed* FIO : *in compositis tamen*, Afficior, affectus sum, &c.) FAL-lo, fefelli, -sum. (Refello, -li †) FEN-do, -di, -sum. FI-do, -sus sum. FI-go, -xi, -ctum. FINdo, fidi, -ssum. FIN-go, -xi, fictum. FLE-cto, - xi, -xum. FLI-go, -xi, -ctum. FO-dio, -di, ssum. FRAN go, fregi, fractum. FREM-o, -ui, -itum. FREN-do, -di, -sum & fressum. FRI-go, -xi, -xum & -ctum. FVG-io, -i, -itum. FVN-do, fudi, fusum. FVRO † †

374. GEM-o, -ui, -itum, GE-ro, -ssi, -stum, GIGNo, genui,

genitum. GLISCo, † † GLV-bo,-psi,-ptum. HISCO † † IC-o, -i, -tum. IMBV-o, i, -tum. IAC-io, jeci, -tum. IVN-go, -xi, -ctum.

375. LACIO, lexi, lectum: (*in compositis*. Excipe Elic-ui, -itum). LÆ-do,-si,-sum. LAMB-o, -i, -itum. LE-go, -gi, -ctum. (Sic Al-Per-Præ-Re-Sub-lego, legi, lectum. Sed Col-De-E-ligo, legi, lectum, Et Di-Neg-Intel-ligo, lexi, lectum) LIN-go,-xi,-ctum. LINQVO, linqui, lictum. LINO, levi, litum. LV-do,-si,-sum. LVo, -i, -tum.

376. MAN-do,-si,-sum. MER-go, -si, -sum. ME-to, -ssui, -ssum. METV-o, i, † MEIO & MIN-go,-xi, mictum. MI-NV-o, -i, -tum. Mi-tto,-si, ssum. MOLO,-ui,-itum.

377. NE-cto, -xui & -xi,-xum. NIN-go,-xi, † NO-sco,-vi, -tum. (Sic Ig-Præ-Dig-notum: sed Ag-& Cog-nitum.) Nub-o, -psi, -ptum. NV o,-i, -tum. OCCVL-o, -ui, -tum.

378. PAN-do,-di,-sum, & passum. (Dispansus & Dispessus.) PAN-go,-xi (vel pépigi,) pactum. (Sed Circum-& De-pango, panxi, pactum: Compegi & Impegi-pactum) PAR-co,-si,-sum; & peperci, parcitum. (Sed Compar-co -si, -sum.) PAR-io, peperi -tum. PA sco,- vi stum (sed Con- & Dis-pesc-o, -ui, -itum.) PE-cto, -xi, (& -xui)-xum. PE do, pédi, -itum. PEN-do, pependi,-sum. PER-go,-rexi,-rectum. PET-o,-ivi, -itum.

379. PIN-go,-xi pictum. PIN-so,-sui, -sum &-situm, & pi-stum. PLAV-do,-si, sum. PLE-cto, -xi,-xum. PLV-o,-i,-tum. POno,-sui,-situm. PORR-igo,-exi,-ectum. POSCO, poposci, † (Reposci) PREHEN-do, -di, -sum. PRE-mo, -ssi, ssum. PROM-o,-si, -tum. PSALL-o, -i, † PVN-go, pupugi, -ctum. (Sed Com-Dis-Ex-punxi; Repupugi vero, & repunxi.)

380. QVÆ ro,-sivi, -situm QVA-tio, -ssi, -ssum. QVIE-sco, -vi, -tum. QVIN-isco,-exi †

381. RA-do, -si,-sum. RAP-io,-ui, -tum. RE-go,-xi,-ctum. REP-o, -si, -tum. RO-do,-si, sum. RVD-o, i, † (& -ivi, itum) RV-mpo,- pi, -ptum. RV-o, -i, - tum.

382. SAL-lo,-li,-sum. SAP-io, ui, & -ivi, † SCAB-o, -i, -itum. SCALP-o -si, - tum. SCAN-do, -di,-sum. SCI-n-do, -di, -ssum. SCRI-bo, -psi, -ptum. SCVLP-o, -si, -tum. SER-o, -ui,-tum (*in seriem redigo*) SE-ro,- vi, satum (*semino, planto*) SERP-o, - si, -tum.

SIDO,

383. SIDo, sedi † SI-no, -vi, -tum. SISTO, stiti, statum. SOL-vo, vi, utum. SPAR-go, -si, -sum. SPE cio, xi, -ctum. SPERNO, sprevi, spretum. SPV-o, i, -tum.

384. STATV-o, -i, -tum. STERNO, stravi, stratū. STER-to, -ti, & tui † STIN-go, -xi, -ctum. STREP o, -ui, -itum. STRID-o, -i, † STRIN-go, -xi, strictum. STRV-o, -xi, -ctum. Su-go, -xi -ctum. SVM-o, -si, -tum. SV o, i, -tum. SVR-go, -rexi, -rectum. SVE-sco, -vi, -tum.

385. TANGo, tetigi, tactum. TE-go, xi- ctum. TEM-no, -psi, -ptum. TEN-do, -di, -sum & -tum. (At-Con-Dis -tentum : Ex-In-Os-Præ-tensum & -tentum.) TER-go, -si, -sum. TERO, trivi, tritum. TEX-o, ui, tum.

386. TIN-go, -xi, -ctum. TOLLO, sustuli, sublatum. TRAho, -xi, -ctum. TREM-o, -ui, † TRIBV-o , -i, -tum. TRV-o, -si, sum. TVNDo, tutudi, tunsum & tusum. (Sed Composita tantùm per-sum.)

387 Vn-go, -xi, -ctum. V-ro, -ssi, -stum. VADO † † (Sed E- & In- vado- vasi, vasum.) VE-ho, -xi , -ctum. VELL-O, -i. & vulsi, vulsum. VEND-o, idi, itum, (est enim ex Venum & do.) VERGO , † † VER-ro, -ri, -sum. VER-to, -ti, -sum.) VINCO, vici, victum. VIS-o, -i, -um. VI-vo, -xi, -ctum. VOL-vo, -vi, - utum. VOM-o, -ui, -itum.

388. Deponentia tertiæ Conjugationis sunt. APISCOR, aptus sum. (Adipiscor, adeptus &c.) FVN-gor, -ctus. FRV-or, -itus (Sed Per-fruitus, & -fructus.) GRADIOR, gressus. IRAscor, -tus. LABOR, lapsus. LOQV-or, -utus. MOR-ior-tuus. MENIscor, iniuſ. sed Comminiscor, commentus: Reminiscor. †

389. NANCI-scor, nactus. NA-scor, tus. NI-tor, -sus & -xus OBLI-viscor, -tus. PAC-iscor, -tus. PAS-cor-tus. Pa-tior, -ssus. PLE-ctor, -xus. (in Am -Com-Circum-plector.) PROF -iciscor, -ectus.

390. QVEROR, questus. RINGOR, † † SEQV-or, -utus. VL-ciscor, -tus. VTOR, usus. VESCOR † † VERT-OR, -i, (in Divertor. Sed Præ-Re-vertor, -verti, &-versus sum.)

391. Ita sunt primitiva Conjugationis tertiæ. Inchoativa sunt itidem multa : quæ, si à Verbis descendunt, præterita suorum primitivorum retinent (ut, *Canesco, canui*, *à Caneo*, *&c.*

si à Nominib⁹, vel Adnominib', præterito ferè carent; ut, *Puerasco*, *Ægresco &c.* (Dicendū hîc est, *Puerascere*, *vel Ægrescere*, *capit* non Pueruit, Ægruit)

392. *Accerso*, *Arcesso*, *Capesso*, *Facesso*, *Lacesso*, præteritum-*svi*, supinum-*itum*: (sed tria posteriora etiam præteritum Capessi, Facessi, Lacessi.) *Incess-o*, -i, &-ui, -um.

393. Duodecim Verba Conjugationis tertiæ sunt (nempe *Capio*, *Cupio*, *Facio*, *Iacio*, *Lacio*, *Fodio*, *Fugio*, *Pario*, *Quatio*, *Rapio*, *Sapio*, *Specio*) quæ temporibus imperfectis Indicativi & Subjunctivi recipiunt I, sic: *Fac-io*, *-iam*, *-iebam*, *-iam*: *quibus locis formatio illorum similis est Conjugationi quartæ*: *sed quartæ non esse*, *Infinitivus ostendit*, *Capere &c.*

394. Sic & Deponentia tria: *Gradior*, *Morior*, *Patior*: Infinitivo Gredi, Moir, Pati: (quanquam apud Poëtas reperias Gradiri, & Moriri, tanquā si qvartæ essent.)

Cardinalia Conjugationis IV.

395. Hujus Conjugationis primitiva sunt circiter triginta (*Audio*, *Venio*, *Scio &c*) cum derivatis non paucis, Desiderativisq; omnibus (*Esurio*, *Dormiturio &c.*)

396. Perfectum desinit in -vi, supinum in -itum: exceptis 16.

397 AMI-cio, -cui, &-xi, -ctum. CAM-bio, -psi-ptum. FAR-cio, -si, -tum. FER-io, † -itum. FVL-cio-si, -tum. HAV-rio, -si, -stum. (hausurus. Virgil.) PER-io, -ui, -tum (in A & O-perio: sed Com-& Re-perio, i, -tum.)

398. SAL-io (id est, salto) ii, -tum. (Comp. De- Dis- Ex- In- Re- Sub- Trans-silio, -silij, vel -silui, -sultum.) SAN-cio, -civi,

eitum; &-xi,-ctum. *SAR*-cio,-si,-tum. *SEN*-tio, -si, -sum, *SEP*-elio,-elivi,-ultum: *SINGVLT*-io, -ivi, -um. VEN-io, -i, -tum. VIN-cio,-xi, -ctum.

399. Deponentia quæ variant, sunt. COMPER-ior, -i, EX-PER-ior,-tus. ME-tior, mensus. OR-dior -sus. OR-ior -tus. OPER-ior, -tus.

400. Nota, Omnes istas anomalias potissimùm venire à crasi. (Vt cùm pro *Sino*, *sinivi*, *finitum*; *Dicimus Sivi*, & *Situm* Pro *Lavo*, *lavavi*, *lavatum*; *Lavi*, *Lautū*, & *Lotum*, Pro *Iubeo*, *Iubsi*, *Iubsum*; *Iussi* & *jussum* &c.)

De Verbis Anomalè conjugandis.

401. Sic vidisti Verba analoga, aut ab analogia leviùs (in cardinalibus temporibus) recedentia; seqvuntur Anomala, quæ aliorum quoque Temporum & Personarum. (1) aut *defectum*, (2) aut *redundantiam*, (3) aut *variationem* patiuntur.

I. *Verba Defectiva qvadruplicia.*

402. Defectum patiuntur, *primò quæ supino, aut etiam præterito, carent; ut*, sunt omnia Inchoativa, * Item, *Studeo*, *studui* † *Vergo* †† Qualia quia suis locis jam annotata sunt, repeti nihil opus.

403. Secundò sunt Verba quatuor, *quæ Temporibus imperfectis carent*: ut, *Cæpisse*, *Meminisse*, *Novisse*, *Odisse*. Sed tria posteriora significationis

cationis etiam habent anomaliam: quia formâ præteriti præsenter significant. (*Memini*, ich gedencke. *Novi*, ich kenne. *Odi*, ich hasse: non autem, ich hab gedacht/ gekandt/ gehasset. Hoc enim exprimendum est per Antepræteritum, *Memineram*, *Noveram*, *Oderam*. Carent etiam (hæc eadem) Imperativo: præter, *Memento*, *-to*, *-tote*. † *Odi* autem, prætereunte habet *Oderam*; præterito, *Osus sum*.

404. Tertiò, quædam Verba sunt, *quæ hincinde lacunas habent, certis temporibus personas exprimere non valendo: ut, hæc septem, Ajo, Inquio, Ave, Salve, Fore, Ovat, Infit*. De quibus seqventia tantùm sunt in usu.

405. (1) AIO: Infinitivo † Imperativo, *Ai, aito; aite, aitote, aiunto*. Indicativo: *Aio, ais, ait; aimus, aitis, aiunt*. Prætereunte: *Aieb-ã, as, &c*. Præterito: † *Aisti, ait*; † *aistis, aierunt*. Antepræterit. † † † Futur. † † Participium: *Aiens*.

406. (2) INQVIO: Infinitivo † Imperat. *Inque, inqvito, inqvito, inqvitote, inqviunto*. Indicat. *Inqv-io* (vel*-am*,) *is*, *-it*: *-imus*, *-itis*, *iunt*. Prætereunte: *Inqviebam*, *-as &c*. Prærit. † *inqvisti*, *inqvit*: † *inqvistis* † Futur. † *inqvi-es*, *- et*, † *inqvietis*, *-nt*. Subjunct. Præs. *Inqvam &c*.

407. (3) AVE: *aveto, avete*. Fut. *Avebis*. Infinit. *Avere*. Sic & (4) SALVE. (FORE (5) vide in Conjugatione Verbi Sum)

408. (6) OVAT: solum est. Sicut & (7) INFIT. (DEFIT autem habet *defiet, defiat, Defieri.*)

[409. Annumerant defectivis & FAXO, (seu faxim) *fax-is, it; imus -itis -int.* Et AVSIM; *-is, it; imus, -itis, -int.* Sed hæc non tam defectiva Verba sunt, quàm reliquiæ quædam priscæ Conjugationis Verborum *Facio*, & *Audeo.*]

410. Tandem (quartò) sunt verba, quæ *non nisi tertiâ singulari personâ usurpantur*: ut, *Pænitet me*: (Mich Verdreüst/ jammert &c. (nec enim dicere possum, *Pœniteo.* vel *pænites.* ich jammere/oder du jammerest.) *Dicuntur*

Impersonalia:

De quibus peculiariter observa sequentia.

411. Miseret me, es Jamert mich.	*Impersonale est* (1) *vel* perpetuò, *ut hæc decem*: Liber,	§ 215. 316. 603. 605. 650. 653.
Licet, Liquet, Miseret, Oportet, Piget, Pæniter, Pudet, Decet, Tædet.		&c.
Placet mihi, Es Gefallet mir.	(2) Vel *ex accidenti*, ob defectū Nominativi:	§ 13. 610. 664. &c.
Delectat Placet, Juvat, Patet, Vacat &c.		
Quid *agitur*? Was thut man?	(3) *Vel formatur à quolibet Verbo*	§ 291. 395 748. 840.

Statur, Sedetur &c. Man sitzt/ Man stehet *&c.*	impersonale passivum, *in* -tur.	863. &c.
412. Oport-et -*ebat*-*uit* -*ebit* &c. Sede-*tur*-*batur*, -*bitur*, Sessum est &c. *Libuit*, vel *Libitum* est. Tædet tæduit, & tæsum est. Miser-et -itum, & -tum est.	*Conjugantur Impersonalia ut Personalia per omnia tempora. Obs.* (1) Liquet, *præterito caret.* (2) *Quinque hæc præteritum geminant*, Libet, Licet, Placet, Piget, Pudet per-*uit* & -itum est.	§ 664. 665. 874. &c.

II. *Verba Redundantia, quadruplicia.*

412. Par-*co peperci, parcitum*: vel *parsi parsum.* | *Redundant* (1) *quæ habent plura præterita, vel supina, vel utrumq;* (*Qualia suis locis, ad singulas Conjugationes, consignata vidisti.*

413. *Cœn-avi*, & -*atus sum. Pran-di*, & -*sus sum &c. Jura-vi-tus sum. Plac-ui*, & -*itus sum. Nup-si* & -*ta sum.* | (2) *Quæ Præteritum ex utraque Forma accipiunt, significatione eâdem, ut septem illa.*

Quò referes sex illa, quæ

Assue-

Assve-vi & *-tus sum.* | *præteritum è prima Forma*
Desino, desi-vi, & | *amiserunt.*
desitus sum.

Sic: *Audeo*, ausus sum: *Gaudeo*, gavisus sum: *Mæreo*, mæstus sum; *Soleo*, solitus sum: *Fido*, fisus sum: *Diffido*, diffisus sum.

414. *Bellare.* vel *Bellari* &c. | (3) *Quæ per utramq; Formã conjugantur sensu eodem; tametsi usitatiùs in altera.*

[Ita usitatiùs dicimus, *Bellare, Comperire. Depascere, Dispertire, Fluctuare, Fruticare, Impertire, Luxuriare, Multare, Obsonare, Prævertere, Punire, Ructare, Ruminare*, quàm -*ri*. Ex adverso; *Adulterari, Assentiri, Augurari, Diverti, Fabricari, Iurgari, Lacrymari, Luctari, Ludificari, Medicari, Mereri, Quiritari; Remunerari, Ringi*, usitatiùs quàm -*re*. Qualia consignata reperies, in Lexico.]

415. *Lavare*, vel *Lavere* &c. | (4) *Quæ in diversa Conjugatione usurpata reperiuntur, sensu eodem.*

[Tametsi rursum alia usitatiùs in hâc, quàm illa. Vsitatiùs n. est *Lavare*, quàm *lavere*: *Fervere, Fulgere. Stridere, Tueri*, quàm *Fervere, Fulgere, Studere, Tui.* Item *Ciere* quàm *Cire* (à Cieo, & Cio, secundæ & quartæ.) Vsitatius deniq; in tertia *Fodere, Linere, Sallere, Mori*; quàm in quarta *Fodire, Linire, Sallire, Moriri.*]

416. Oriri, Potiri: Oriris, Potiris: vel Orĕris, Potĕris &c. | Orior & Potior, *Infinitivo semper sunt quartæ: cætera tertia & quarta. Illud tamen usitatius in tertia, hoc in quarta.*

417. *Tergeo* & *Tergo* (cum compositis) est tertiæ & quartæ indifferenter.

[Obs. Addunt *quintam Redundantium classem*, in eadem Conjugationis Forma transitivè & intransitivè significantium: ut *Offendere aliquem*, jemanden verletzen: & *Offendere ad lapidem*, Anstossen/ Sich verletzen: Sed hoc ellipticum est. Offendere, (se) ad lapidem.]

(3) Verba Variantia sex

418. Sex sunt Verba, quæ (cum Compositis suis) Tempora & Personas anomalè variant: *VOLO, EO, QVEO, FIO, FERO, EDO.*

419. VOLO, sic conjugatur. Infinitivo: *Velle, Voluisse* † Imperativo † † Indicat. *Volo, vis, vult* (contractè, pro, *Volis, volit*) *volumus, vultis* (pro, volutis) *volunt*. Futur. *Vol-am, -es, et; &c.* Præteriens: *Voleb-am, -as, &c.* Præterit. *Volui &c.* Subjunct. præsent. *Velim, velis, velit, Velimus, velitis, velint*. Præterien. *Velle-m, -s, -t, -mus, -tis, -nt.* Præterit. *Voluer-im, &c.* Antepræter. *Voluiss-em, &c* Particip. *Volens*.

420. Composita ejus sunt; *Malle*, maluisse: *Nolle*, noluisse. Imperat. ibi caret: hic, *Nol-i, -ito; ite-itote, -unto.* Indicat. *Malo, mavis, mavult; malumus, mavultis, malunt, Nolo, non vis, non vult; nolumus, non vultis; nolunt.* Futur. *Malam & Nolam* &c. Præterient. *Malebam* &c. *Nolebam* &c. Præterit. *Malui* &c. *Nolui* &c. Subjunct. *Malim* &c. *Nolim* &c. *Mallem* &c *Nollem* &c *Maluerim* &c *Noluerim* &c *Maluissem* &c *Noluissem* &c. *Maluero* &c, *Noluero* &c. Participia: *Malens*

Malens (seu *Mavolens*) *Nolens.*

421. EO, sic conjugatur: Infinit. *Ire, Ivisse, Iturum esse.* Imperat. *I* vel *Ito, ito; ite* vel *itote, eunto.* Indicat. præs. *Eo, is, it: imus, itis, eunt.* Futuro: *Ib-o, -is, it; -imus, -itis, -unt.* Prætereunte: *Ibam &c.* Præterito: *Iv-i, -isti* &c. *Iveram* &c. Subjunct. præs. & fut. *Eam, eas, eat* &c. Prætereunte: *Irem* &c. Præterit. *Iverim* &c. *Ivissem* &c. Participium præsens: *Iens* (*euntis*) Futurum *Iturus.*

422. Sic, *Abeo, Adeo, Exeo* &c; item *Veneo.* Sed ista in præterito sæpè *V* elidunt, *Veneo* autem semper: *Abivi* vel *abij*; *Venii* &c *Ambio* tamen regulariter conjugatur (ut *Audio*): excepto prætereunte, ubi habet Ambiebam, & ambibam.

[NB, Veteres omnia Verba qvartæ Conjugationis flectebant per *-ibam*, &*-ibo* (*Audibam*, *Audibo*; *Scibam*, *Scibo* ic.) Posteà id evanuit, remanerq; in solo hoc *Eo*, *ibam*, *ibo.* Quod si diceretur IO, (pro EO: nec mutaret quibusdam temporibus & personis, *i* in *e*) per omnia esset tam regulare, quàm reliqua tùm erant.]

423. QVEO (& *Nequeo*) ut Eo conjugatur: nisi quòd Imperativo caret; & præterito *quivi*, & *quitus sum*, facit.

424. *FIO*, sic. Infinit. *Fieri*, *Factum esse*, *Factum iri*, *Fiebam* &c (juxta quartam Conjugationem) Subjunct. *Fiam*, *Fierem* &c. *Factus sim* seu *fuerim*, *essem* seu *fuissem* &c.

425. *FERO*, sic. Infin. *Ferre*, *Tulisse*, *Latum ire* (NB, Præteritum hoc suum & Supinū

mutuat-

mutuatur ab obsoleto, *Tolo, tetuli, telatum*) Imper. *Fer, ferto: ferte-tote-unto.* Indic. *Fero, fers, fert* (eliso I: ad differentiam Fer-io-is-it): *fer-imus-itis-unt.* Fut. *Feram, es, et* &c. Præteriens; *Ferebam* &c. Præteritum, *Tuli, Tuleram, Tulero, Tulissem* &c.

426. EDO, bifariam flectitur: regulariter; in Conjugatione tertia; & irregulariter, mutuando ex Verbo SUM personas illas, quæ ab *ES* incipiunt. (Usurpamus enim *Esse*, pro *Edere*; *ES*, pro *Ede*; *Este*, pro *Edite*. Et Indicativè: *Es*, pro *Edis*; *Est*, pro *Edit* &c. Etiam passivè, *Estur*, pro *Editur*: *Essem*, pro *Ederem* &c. Ita composita: *Comedo, comes, comest* &c.)

Verborum Appendicula quadruplex.

427. Quorundam Verborum præterita coincidunt: ut *Aceo acui*, & *Acuo-i*. *Cresco crevi*, & *Cerno crevi*. *Frigeo frixi*, & *Frigo-xi*. *Luceo luxi*, & *Lugeo-xi*. *Mulceo mulsi*, & *Mulgeo-si*. *Pasco pavi*, & *Paveo-vi*, & *Pavio, pavi*. *Pendeo pependi*, & *Pendo-di*. *Fulgeo fulsi*, & *Fulcio-si*. Et composita à *Sto* & *Sisto*: *Consto, constiti*; & *Consisto constiti* &c.

428. Idem alibi evenit Supinis. *Cresco, cretum*, & *Cerno cretum*. *Maneo mansum*, & *Mando* (is) *mansum*. *Pando passum*, & *Patior passum*.

Pan-

Pango pactum, & *Paciscor pactum*. *Sto statum*, & *Sisto statum*. *Succenseo succensum*, & *Succendo-sum*. *Teneo tentum*, & *Tendo tum*. *Verto versum*, & *Verro versum*. *Vinco victum*, & *Vivo-ctum*.

429. Quin & prima præsentis persona quandoq; dubia sit, propter diversam Conjugationem. Ut *Aggero* (*as*) & (*is*) *Apello* (*as*, & *is*) *Colligo* (*as*, & *is*) *Deligo* (*as*, & *is*) *Effero* (*as*, & *effers*) *Mando* (*as*, & *is*) *Fundo* (*as*, & *is*) &c.

[Obs. Aliqvando tamen pronuntiatione dignoscuntur: ut *Prædico* (*as*) & *Prædico* (*is*) *Relego* (*as*) & *Relego* (*is*) &c.]

430. In Verbis compositis Poëtæ aliquando Præpositionem postponunt: ut Terentius, *Ipræ*, (pro, *Præi*) Gehe vor.

[N.B. Germanis hoc perpetuum est, ut Præpositionē, aliamve particulam discretivam, *Infinitivo* & *Subjunctivo* præmittant, (Fürschreiben/ weg Gehen: wenn ich für-Schriebe/ wenn ich weg-Ginge) *Imperativo* & *Indicativo* postponant, (Schreib-für/ Gehe-weg. Ich Schreibe-für/ ich Gehe-weg) Præterito verò, & augmento suo ge- interponant, (Ich hab für-ge-Schrieben: ich bin weg-ge-gangen.)

XXVIII.
PARTICIPIORUM Formatura.

431. Participia esse è Verbis facta Adnomina, audivisti § 53, & 247: nunc disce (1) cur PARTICIPIA dicantur. (2) *A quibus Verbis* formentur, & (3) QVOMODO.

432. PARTICIPIUM dicitur, quia cùm sit ex Verbo factum Adnomen, participat de utroq; : accipiens à Verbo significationem (activam vel passivam, vel essentialem), ab Adnomine verò genus & declinationem.

Participia UNDE fiant.

433. *Participia fiunt ab omni Verbo, sed numero dispari.*

434. *Ens* (seu *Existens*,) der Seyende. *Futurus* (seu *Exstiturus*) der seyn sollende / [Item der Gewesene.]

Verbum Substantivum *duo Participia ex se gignit : præsens & futurum.*

[Obs. Germanis etiam præteritum : ut & Boh. Byly.]

435. *Legēs*, der Lesende. *Lecturus* der Lesen sollende/ oder wollende.

Transitivo-activum *eadem duo habet; præsens, & futurum.*

436. *Lectus*, der gelesene. *Legēdus*, der gelesen werden sollende. (der zu Lesen ist / Lesens werth.)

Transitivo-passivum *itidem duo; præteritum & futurum.*

437. *Sedens*, der Sitzēde. *Sessurus*, der Sitzen sollende.

Intransitivo-activum *totidem; sed præsens & futurum.*

438. *Spatians*, der Spatzierende. *Spatiatus*, der geSpatzierete.

Deponens intransitivè significans, *habet tria Participia; præsens, præteritum, & futu-*

Spaciaturus, der Spatzieren willende.

439. *Patiens*, der Leidende.

Passus, der gelittene.

Passurus, der Leiden sollende.

Patiendus, der gelitten werden sollende (vel zu Leyden seyende.)

futurum.

Deponens transitivè significans, *habet quatuor Participia; præsens, præteritum, & futura duo, activum & passivum.*

[*Obs.* Hæc sic usitatè. Quædam tamen Verba vix unum habent; ut, *Furo, furens*; *Reor, ratus*. *Fio* auté nullum habet]

Participia QVOMODO formentur.

440 Aman-*do*: Amat-*u*.
-*dus*: -*us*:
-*s*. -*urus*.

Ortu, *Oriturus*.
Natu, *Nasciturus*.
Sonitu, *Sonaturus*.

[I] *Participia in* -dus & -ns, *formantur à Gerundiis: in* -us & -urus, *à Supinis.* (*)

[*Exc.* Tria Participia in -*urus*, paulò aliter quàm à Supinis formantur.]

441. Quia *Fio*, *Memini*, *Odi*, Gerundiis destituuntur, dicere non licet *Fiens*, aut *Fiendus*, *Meminens* aut *Meminendus* &c. Et quia *Metuo*, *Ferio*, *Disco* &c, Supinis carent, circumscribi opus habent, nec dicere licet, *Metutus*, aut *Metuturus*, Res *discita* (sed qvem metuerunt, qvi metuet, quam quis didicit.)

[II] *Verba Gerundio aut Supino carentia, etiam venientibus inde Participiis carent.*

[Excipe. Apulejus tamen *Discituris* dixit, qvasi à *Discitu* quod in usu non est.]

442. *Amans, amantior, amantissimus. Dilectus, -ior, -issimus.*	*Participia recipiunt* Motionem, Comparationem, Declinationem, *ijsdem legibus, quibus Adnomina ipsa.*

Excipitur tamen à Comparatione utrumq; Participium futurum, in -rus, *&* -dus.

(N. *Reverendissimus, colendissimus,* &c. non dicitur.)	(Tametsi n. *Reverendissimus*, & alia quædam, recepta sint, Latina tamen non sunt.)

Appendicula, de quasi Participiis.

443. [Notabis, reperiri Voces Participiis similes, (*Capitatus, Togatus, Ansatus,* &c) quæ tamen quia à Verbis non descendunt, neque temporis adsignificationem habent, non Participia vocabis, sed *Denominativa Adnomina.* Vide suprà § 233 & 234.]

XXIX.

ADVERBIORUM formatura duplex.

444. Flexilium Vocum classibus non annumeravimus (§ 124) Adverbium: eô quòd per Numerum, Genus & Personas, non flectitur; h. e. neque declinatur, neque conjugatur. Variationem nihilominùs quandam habet: nempe *Terminationis,* & *Comparationis.*

De Adverbiorum derivatorum Terminatione.

445. Adverbia pleraque formantur ab Adnominibus, nonnulla à Nominibus, quædam à Verbis, sed diversimodè.

446. Pulcher, *Pulchrè*.
Rarus, Rarò.
Multus, *Multùm*.
Fortis, *Fortiter*.
Felix, *Feliciter*.

Formantur ab Adnominib⁹ terminationis trinæ, in -è, -ò, -ùm. *bina, in* -iter, *unius, in* -iter.

Schönlich / Reinlich / oder Schön / Rein. &c.

Germanicè in -lich: *aut sine illo.*

447. Quinq; *Quinquies.*
Centum, *Centies.*
Bifarius, *Bifariam.*
Simplex, *Simpliciter.*
Einmal / Zweymal &c.

A Numeralibus *formantur Adverbia in*
-ies, mal.
-fariam, fach.
-pliciter, feltiglich.

NB. Illud -ies, *apud Latinos in quinq; demum incipit, apud Germanos statim ab initio.*

448. Ostium, *Ostiatim.*
Von hauß zu hauß.
Radix, *Radicitùs.*
Von der Wurtzel auß.

A Nominibus *Adverbia fiunt in* -tim, & -itùs. *Germanicè* von -zu: von -auß.

449. A Pungo, punctu fit *Pūctim*, Stichweise.
à Cædo, Cæsu, *Cæsim*.
à Medicatu, *Medicatim*
à Neglectu, *Neglectim*.

A Verbis *venientia deflectunt Supinum in* -im, &c *Germ. in* -weise.

De Adverbiorum Comparatione.

450. Amœn-è,-iùs, -issimè. *Benè, melius, optimè. Malè, pejus, pessimè. Parùm, minus, minimè* (vel *minimùm.*)	*Adverbia descendentia ab-Adnominibus cōparatis, recipiunt ipsa quoq; comparationem: ab anomalis anomalè, à defectivis defectivè.*
451. *Sæp-è-iùs-issimè. Di-u-ntius-utissimè. Prop-è-ius, proximè. Penit-us-iùs-issimè.*	*Comparantur & quædam primitiva, aut aliunde (quam Adnominibus) venientia.*

452 Quædam defectum patiuntur,

(1) Positivi, ut: † *magis, maximè.* † *Ocyùs, Ocyssimè.* † *potiùs, potissimè.*

(2) Comparativi: *Penè* † *penissimè, Nuper.* † *nuperrimè.*

(3) Superlativi: *Satis, satiùs* †. *Secus, seciùs* †. *Tempo-ri-riùs* †. *Vald-è-iùs* †.

XXX.
PRÆPOSITIONUM structura.

453. *Præpositio*, vocula invariabilis est per se: dum tamen cum Verbo componitur (quæ compositionis species Lingvæ thesaurum mirè auget) mutationem quandam aut patitur ipsa, aut infert Verbo: quod ne ignores attende.

454. Præ-

454. Præpositiones quæ compositionem ingrediuntur, sunt 26: quarum media ferè pars sæpe aliquid mutat.

[Nempe apud Latinos Germanorum Præpositiones manent semper integræ; sicut & Verbum, cum quo componuntur. Cum articulo tamen coalitæ assumunt articuli ultimam literam, loco ipsius articuli: ut cùm pro in dem/ in das/ zu der &c dicimus im/ ins/ zur. &c.]

Mutatio ex parte Præpositionis.

455. *Ab-Ire: ab-Breviare: ab-Dere: ab-Gregare: ab-Lactare: ab-Nuere; ab-Radere: ab-Sistere.*	*AB, ante vocalem, itémq; ante B, D, G, L, N, R, S, manet immotum.*
(2) *au-Ferre: au-Fugere.*	(2) *Ante F, mutat B in U.*
(3) *a-Movere: a-Volare.*	(3) *Ante M & V, abjicit B.*
(4) *abs-Cedere: abs-Terrere.*	(4) *Ante C & T assumit S.*
(5) *as-Pellere, as-Portare.*	(5) *Sed hoc ipsum ABS ante P rursum elidit B.*

456. *Ad-Oro: ad-Bibo: ad-Hereo: ad-Moneo: ad-Veho.*	*AD, ante vocalem, item ante B, D, H, M, V, manet invariatum.*
ad-Cresco, vel *ac-Cresco; ad-Laboro;* vel *al-Laboro; ad-Noto,* vel	(2) *Ante reliquas consonas aliquãdo manet, sæpiùs se Consona*

vel an-Noto; ad-Pono; vel appono ad-Repo, vel ar-Repo; ad-Sũ, vel as-Sũ. | næ Verbi assimilat.

457. Amb-Eo, amb-Igo, amb-Uro. | AMB, ante Vocalem manet.

am-Puto. | (2) Ante consonã amittit B:

an-Helo, an-Quiro. | (3) Ante H & Q, transit M. quoq; in N.

458. ante-Ire, ante-Ponere &c. | ANTE, cũ paucissimis cõponitur, nec mutatur.

459. Circum-Eo, Circu-Itus. | CIRCUM, ante Vocalem aliquãdo amittit M.

460. com-Pono. | CUM, ubiq; mutat U in O. Præterea verò

Co Emo, co-Orior, co-Hibeo, co-Ago (contractè Cõgo.) | (2) ante Vocalem, & H, perit M.

con-Dono, con-Fero, con-Tueor, &c. | (3) Ante D, F, G, N, S, T, V, transit M in N.

col-Loquor, cor-Rado, &c. | (4) Ante L & R, mutatur M in L, & R.

461. contra-Dicere, de-Discere &c. | CONTRA & DE, nihil mutant.

462. dis-Cerno, dis-Jungo, dis-Cutio, dis-Pono, dis-Tineo. | DIS, ante C, I, P, Q, S, T, nil mutant.

dis-Quiro, dis-Sideo, | (2) Ante F mutat S in F.

dif-Fugio, dif-Fero. | (3) Ante D, G, L, M, N, R, V. amittit S.

di-Duco, di-Gero, di-Lacero, di-Metior, di-

Numero

Numero, di-Rigo, di-Vello di-Rimo.	(4) *ante Vocalē aliquā-do mutat S, in R.*
463. *ex-Orior, ex-Cerno, ex-Halo, ex-Pono, ex-Quiro, ex-Specto, ex-Tundo.*	*EX, ante Vocalem & ante C, H, P, Q, S, T, manet.*
ef-Fero, ef-Fundo.	(2) *Ante F mutat X in F.*
e-Bibo, e-Duco, e-Gero, e-Ligo, e-Mano, e-Numero, e-Rado, e-Volvo.	(3) *Ante B, D, G, L, M, N, R, V, amittit X.*
464. *im-Bibo, im-Mitto, im-Pono.*	*IN, manet ubiq; excepto quòd* (1) *ante B, M, P, muta N in M.*
il-Laqueo, ir-Rogo, &c.	(2) *Ante L & R, transit in L & R.*
465. *intel Ligo.*	*INTER, in unico Verbo mutat R.*
466. *intro-Eo, intro-Mitto* &c.	*INTRA, mutat A in O.*
467. *oc-Curro, of-Fundo, og-Gero, op-Pono. o-Mitto* (non, *ob-Mitto.*)	*OB, ante C, F, G, P, transit in similem. Ante* Mitto *autem amittit B.*

468. PER, manet; excepto in *Pel-Licio,* & *pel-Lucidus.*

469. POST, PRÆ, PRÆTER, manent integræ.

470. *Prod-Ire, Red-Ire, Sed-Itio.*	*PRO, RE, SE, nihil mutant; præter quòd*

ante Vocalem, D assumunt.

471. *Suc-Cedo, suf-Fundo, sug-Gero, sup-Pono.*
sub-Mitto, vel *sum-Mitto. sub-Rogo*, vel *sur-Rogo.*

SUB, ante C, F, G, P, mutatur B in similem.
(2) *Ante M & R, vel manet vel mutatur.*

472. SUBTER & SUPER manent integræ.

473. *Sus-Cipio, sus-Cito, sus-Spicio* (suspicio) *sus-Pendo, sus-Spiro, sus-Tento, sus-Tineo, sus-Tollo.*

SUS (pro sursum*) manet ubiq; sed vix reperies præter hæc Octo.*

474. *tra-Duco, tra-Jicio.*

TRANS, manet: excepto quòd ante D & J amittat NS.

trans-Nare, vel *tra-Nare.*

(2) *ante N, utroq; modô dicitur.*

Mutatio ex parte Verbi.

475. Amo, *de-Amo:* Pono, *com-Pono.*

In plerisq; Verbis compositis nihil mutatur.

476. Ago, *ad-Igo;* Capio, *ac-Cipio;* Facio, *af-Ficio;* Rapio, *ar-Ripio,* &c.
Amicus, *in-Imicus.*
Calco, *con-Culco;* Quatio, *con-Cutio.*
Cædo, *ex-Cido,* Claudo, *re-Cludo.*

Mutatur tamen sæpè Vocalis prima Verbi: ut
(1) A brevè in I breve.
(2) *Alicubi mutatur* A in U.
(3) Æ abit in I; & AU in U longum.

Lego,

Lego, *col-Ligo*; Sedeo, *as-Sideo*; Emo, *ad-Imo*, &c. Seco, *dis-Seco*, &c.

(4 E breve *mutatur in quibusdã* in I breve. *Sæpè tamen manet.*

477 *Conjunctiones, Interjectiones, Adjectionesq;*, manent invariatæ: de illorum itaq; seorsim formatura qvod præcipiatur nihil est.

XXXI.

Formatura PHRASIVM in genere.

478. Hactenùs vocum singularum formatura: sequitur, *quomodo in juncturas veniant*, & primò qvidem *combinatim*: ubi *Phraseologiæ artificia* spectabis.

[Non n. Verba in congeriem projiciuntur in Oratione, sed connectuntur sibi invicem certis legibus: ut nulla Vox stet nisi ubi, & quomodo, eam stare permittunt cæteræ; sitq; annexa quælibet alteri, sicut in Catena annulus annulo.]

479. Eamus ordine illo, quo *Vocum classes* eunt: videbis qvid Nomini, qvid Adnomini, quid Verbo &c. annectatur; & qvâ lege; ut singulis in locis Phrases simplices, compositæ, contractæq; enascantur.

480. Omni Phrasi hoc essentiale est, qvòd *ubiubi Voces duæ cohærent, altera alteri leges præscribat, eamq; sequi côgat*: unde altera semper est *principalis*, & *regens*; altera *secundaria*, & *recta*. (*)

481. Re-

481. Reducta sunt omnia illa ad *generalissimas XV Regulas* (✱): unâ cum anomalijs, quæ à *Pleonasmo*, *Ellipsi*, *Anastrophe*, & *Enallage* (in alia Lingva sic, in alia aliter) veniunt.

482. *Pleonasmus* in phrasi, est *redundantia* Vocis alicujus minùs necessariæ. *Ellipsis*, est *defectus* Vocis alicujus necessariò requisitæ. (✱) *Anastrophe*, est *inversio*, cùm voci regenti recta præmittitur. *Enallage*, est *permutatio*, cùm Vox pro voce, aut Casus pro casu, vel Persona pro persona &c ponitur.

[Exempli causâ: si dicas, *Praire aliqvem*, plena Phrasis est. Si, *Praire ante aliqvem*, redundantia est voculæ, *ante*. Si *Praire*, ellipsis est. Si, *Ipræ*, inversio. Si, *Praire alicui*, enallage Casûs est, ubi Dativus pro Accusativo ponitur. Si deniq; *Præcedere aliqvem*, erit enallage Vocis, ubi Vox in vocem (*Praire*, in *Præcedere*) mutatur.]

XXXII

Structura Nominis (1) cum Nomine ejusdem rei.

483. *Urbs Carthago, Urbs Roma, Urbs Londinum, Urbs Venetia &c. Urbis Venetiarum, Urbi Venetiis &c.*	*Ad ostendendum QVID sit quid, apponitur Nomini aliud Nomen, eodem casu; etiamsi fortè numerus, genus, declinatio, discrepent.* [Vide Grammat. Vestib. § 130.]

Obs. I. de Appositionis Nominum Causa trina.

484. No-

484. *Nomen Nomini apponitur, eadem de re, triplici causâ.*

485. *Primò* cùm Nomen commune determinandum est proprio: ut, *Julius Cæsar, Urbs Roma, Arbor Ficus,* &c. (Plures n. sunt Julij, multæ Urbes, & Arbores. Ut ergò intelligatur, de qvo Julio, de qva Urbe, vel Arbore, sermo sit, additur proprium.)

486 *Secundò* cùm à Nomine ambiguo removenda est ambiguitas: ut, *Lupus piscis, Cancer sidus* &c. (Datur n. etiam Lupus fera, & Cancer aqvatile, itẽm Cancer morbus: additum ergò alterum nomen significationem prioris vagam determinat.)

487. *Tertiò*, cùm proprietas Rei unius tribuenda est alteri, apponitur Nomen illius huic, epitheti loco: ut, *Homo lupus* (i e. rapax, sicut lupus), *Homo bulla* (h. e. instabilis, sicut bulla.)

Obs. II. de Apposito proprio.

488. *Urbs Roma*, vel *Roma Urbs.* (die Stadt Rom/ Rom die statt.) *Urbs quæ dicitur Roma.* (die Stadt Rom genandt) *Urbs cognomine Roma.* (die Stadt mit dem zunahmen Rom.) § 155.

Urbs Roma, *ellipticè dicitur. Integrè diceretur,* Urbs quæ dicitur Roma: *sicut Virgilius habet,* Urbem quam dicunt Romam.

489. *Roma* (sc. Urbs) *Urbs* (scil. Roma) Ita Franckfurth / (scitur n. esse Urbs) Ich wil in die Stadt gehē (dicunt, qui oppidum circumcolunt.) Vide 564 (bis) 570. 577.

490. *Urbs Roma*, vel -*a* (die Stadt Rom / oder von Rom.) Ita Cic. pro *Arbor Ficus*, *arbor Fici*, dixit: & Livius, *arbores Abietis*, (pro *Abietes*.)

491. *Urbs Romana*, *Londinensis* &c. *Arbor ficulna* (dixit Apulejus.)

Sæpè tamen alterutrum Nomen dissimulatur, (*Plerunq́ʒ communius: quandoq́ʒ tamē proprium, cùm propter vicinitatem, aut excellentiam, intelligitur.*) *Idem fit vernaculè.*

Potest & Nomen posterius, proprium, in Genitivo poni.

[Et sic exemplum ad aliam Regulam spectabit: Vide mox §497. &c.]

Aut mutari in Adnomen. (*Et sic exemplum transibit ad Regulam inde tertiam*, 505.)

[Hoc rectè imitari possunt Slavi: parùm aptè Germani (die Römische Stadt) aut prorsùs ineptè (der Feigische baum) Componunt potius, Feigen-baum.]

Obs. III. de Apposito limitativo.

492. *Sidus, quod Cancrum vocant* der Fisch/ den man Hecht nennet) vel *Cancri sidus*, Krebs-gestirn.

49[3]. *Sol in Cancro*:

Etiam hic usurpari potest, quod dicitur; *aut adhiberi* Genitivus; *Germanicè autem compositio.*

Quando tamen ex cir-

(per

(per se intelligitur: de signis n. Zodiaci sermo est.) | *cum stantijs patet, de quo rerum genere sermo sit, limitativum apponi nihil opus.*

Obs. IV. De Apposito declarativo.

494. *Gladius victor* (non, victrix). *Dextera victrix* (non, victor.) (Vide §150. 146 148. 150. 185.) | *Quando epitheton est nomen mobile, etiam numero & genere cōformandū est principali suo.*

495. *Tempus magister* multorum (non magistra) | *Si tamen Nomen principale fuerit neutrum,*

Aquila rex avium (non regina.) | *aut epicœnum, epitheton addendum est masculinum.* (*Obs. Cum dico,* Aquila mas, Aquila fœmina; *posteriora illa duo nomina limitativa sunt, non declarativa.*)

496. *Alexander & Darius Reges.* *Roma & Parisij Urbes.* (die Könige David und Salomon. die Städte Rom und Pariß.) | *Nominibus singularibus duobus (aut pluribus) additum epitheton, pluraliter ponitur.* (*Plura n. singularia pro uno habentur plurali.*)

XXXIII.

Structura Nominis cum Nomine diversæ rei.

497. Manus Ciceronis (pars) Epistola Ciceronis (opus) Prædium Ciceronis (possessio) Laudes Ciceronis (de ipso) des Vaters hand der Kinder muttwill. Vel: Des Vatters (sein) Hand. Der Kinder (ihr) muthwill.	*Ad ostendendum* CUJUS *quid sit, additur Nomini Nomen in Genitivo. (Nempe nomen Totius, aut Effectoris, aut Possessoris.)* N. 1. Germanis ferè Genitivus præcedit, 2. Gaudentq; pleonasmo alterius Genitivi, Pronominalis.	§ 2. 3. 7. 10. 12. 20. 144. (ter) 187. 201. (quinquies) &c.

Obs. I. de Nomine Genitivum regente.

498. Amicus Ciceronis. Des Vaters verwandter.	*Adnomina Nominaliter usurpari sueta (Socius, Amicus, Affinis &c) Nominum jure Genitivum sibi associant.*	§ 741. (sub fine) 753 754 &c.
499. Multùm joci. Parum cibi. Omnia hominum, (i. e. *omnia negotia hominum*)	*Similiter Adnomina cætera, genere neutro Posita, Genitivum reqvirũt (sive singulariter usurpata sive pluraliter, Vide § 285, 287) aut Genitivi Loco Nomini subjiciuntur.*	§ 526 (sub finẽ 662 &c.

Obs. I

Obſ. II. De Genitivo recto.

500. *Manus hominis* (vel humana) *Epiſtola Cicero-nis* (v. *-niana*) *Prædiũ Cicero-nis* (vel *-nianũ*, Eines Menſchen Hand: vel eine Menſchliche hand: aut potius, eine Menſchen-hand. Ita dices: *Judex provinci-æ*, vel *-alis*, Land-Richter *Prætor Civi-tatis*, ſeu *-cus*: Statt-Vogt. *Domus Conſilij*, ſeu *ſena-tus*, Rahthauß:

Genitivus quandoq; mutatur in Adnomen poſſeſſivum. [*Germani hoc raro imitantur, uſitatè Genitivum commutant Nominativo, Nomenq; unum compoſitum faciunt: quæ res ſignificantiſſimarum vocum, infinitâ copiâ ſcaturientium, fons illis eſt.*]

709 (quater) 749. (bis)

501. *Tempus cœnæ*, vel *cœnandi*. (Zeit des eſſens/ vel. zu eſſen; vel eſſens-zeit.) *locus prælij*, vel *præliandi*

Si nomen Genitivi mutari poteſt in Verbum, erit Genitivi loco Gerundiũ in-di: præſertim ſi nomen regens fuerit

Tempus, locus, Occaſio, Poteſtas Facultas, *aut ſimile quid.*

§ 641 967 (quinquies)

Obſ. III. de Genitivo gemino.

502. *Cura valetudinis corporis*, Pflegung der Gesundheit des Leybes: vel Leybes gesundheit-pflege.	Composita hîc Phrasis est, si quando duo Genitivi concurrunt. Ecce enim! *Cura Valetudinis! Valetudo Corporis!* Vbi Germani elegantiùs rursum componunt, Genitivos præmittendo.

Obs. IV. de Genitivo solo.

503 *Hector Priami* (nempe filius) *Maria Cleophæ* (sc. uxor, Joh. 19.25. Maria Cleophas weib. *Ire in Martis* (sc. ædē) *Adolescentis est* (sc. officium.)	*Ex adverso crasis est, cùm Genitivo expressè posito, alterum Nomen dissimulatur.* (*Germani hoc vix imitantur, plenè loqui malunt.*)	Vide § 830. &c.

Obs. V. de Genitivo in alium Casum mutato.

504 Justitia est *obtemperatio legibus.* (quia dicitur, obtemperare legibus.) Quid tibi *hanc remcuratio* est? Plaut (pro, *hujus rei cura.*)	*Nomen Verbale in-io. Genitivi loco admittit Casum, quem requirit Verbum suum.*	Archaismus videtur: ergò non imitandus.

[De constructione *Puer ætate, senex sapientiâ*, similibusq; ellipticis, Vide infra Cap. XLVII. Obs. III.]

Structu-

XXXIV.

Structura Nominis cum suo Adnomine.

505 Ad ostendendū *Quale quid sit* (aut *quantum, quotum* &c.) adstruitur Nomini Adnomen, simili numero, genere, & casu.

Equus acer, ein hurrtiges Pferd. Bellum triste, ein trauriger Krieg. Induciæ breves, Kurtzer Still-stand.	*Nempe cujus numeri, generis, casûs fuerit Nomen, eodē numero, genere, & casu conformat sibi suum Adnomen.*	Exempla ubiq, sūt, Ut 26 (novies) 27. &c.

Obs. I. de Nomine regente.

506 *Amicus* certus, *Quadrupes* animosa, *Majores* nostri, Magnum bonum, (ein grosses Gutt.)	*Sanè quidem Adnomen quoq; ita sibi aliud Adnomen sociat: sed tùm, cùm usurpatur Nominaliter.*	Vide 620 628 631 &c.
Scire tuum (i.e. scientia tua.) *Triste Vale.* (h.e. triste	*Si Nominis loco stat Infinitivus, vel alia materia-*	

 liter

triste illud verbū, *Vale.*)	*liter sumta* vox, *Adnomē ponitur*

in genere neutro (*Vi Regula* § 166.)

Obs. II. de Adnomine recto.

508 Pater meus, Patria nostra, Vir doctus & Sapiens.	*Sæpe Adnominis loco Pronomen est, aut Participium.*	§2. II (bis) 17. 105. (bis) 131 (quater) 160 (quinquies.)

Obs. III. de Anomalia Numeri.

509. *Pars* (hostium) *occisa*, vel *occisi*. Ein theil (der feinde) ist (oder sind) geschlagen.	*Nomini* collectivo *singulari convenit Adnomen singulare vel plurale.*	Vide 979 &c.
510 *Vterq; Legatus* (vel *legati*) *Honoratissimus quisq; missus* (vel *missi*, ut Livius habet.)	*Et vice versa Adnomini collectivo Nomen singulare vel plurale.* (*Germani vix imitantur.*)	

511 *Literæ binæ* (non, duæ) *Castra terna* (non, tria) Dwoge widly (non dwě) Troge Kamna (non tři)	*Qvum Nomini tantùm plurali Adnomen numerale jungitur, distributivum jungitur.* (*Germani quia tantùm pluralibꝰ carent, nihil quod constructioni huic respondeant habent: habent Slavi.*)

Obſ. IV. de Anomalia Generis.

512 (1) *Elephantus gravida* (i. e. elephantus fœmina)
(2) *Lugdunum tua* (ſc. urbs)
(3) *Sola Bubo* (Virg. i. e. ſola *avis Bubo*)

513 *Turpe ſenex* miles i. e. turpe quiddam) *Fæmina malum* (i. e. malum quiddam; ut expreſſit Seneca dicens: *Altum quiddam, excelſum, & regale, eſt virtus.*)

Nomini epicœno jungitur Adnomen ſexûs intellecti. Similiterq́ Urbium & Regionum nominibus. (3) *& alijs quibus cunq́ Pöeticè.*

Pöeta maſculinis & fœmininis Nominibus jungunt Adnomẽ neutrũ, Græcorum imitatione. (*Germani non imitantur: retinent conſtructionẽ naturalem, hic Regulâ expreſſam,* § 505)

Obſ. V. de Anomalia Casûs.

514 *Lana nigra* (vel, ut Plinius, *nigra lanarũ.*) Ita: *Pauci homines*, vel *pauci hominum.* *Paucis hominibus*, vel paucis *hominum.* *Paucos homines* vel paucos *hominum* &c. (Die wenigſte Menſchen/ vel unter den Menſchen.)

Adnomen partitivum ſæpe nomẽ ſuum transformat in Genitivũ. (*Sed ellipſis eſt: q. d. Pauci* (ex numero) hominum. *Ubi* Numerus hominum *cohæret, per Regulam* § 497.)

Vide § 142 181 187 &c.

Obſ.

Obſ. VI. de Phraſi hic compoſita.

515 *Alexander & Darius irati.* Socius noſter fidelis (Unſer lieber - trewer freund)	*Nominibus pluribus junctum Adnomen unum; aut uni Nomini Adnomina plura, faciunt phraſin compoſitam (Duæ n. ſunt juncturæ, So-* cius noſter, & ſocius fidelis)	Vide § 27. 62. 194. &c.
Vir ſapiens, (ſive, *qui ſapit.*)	*Huc ſpectat, quũ pro Adnomine, ſeu Participio, Verbum ponitur, cum* qui: *ut § 89. quater.*	

516 (1) *Pater & mater mortui ſunt* (Ter. non, *mortuæ*) (2) Locus tempusq; conſtitutum (Ter. non, conſtitutus) (3) *Murus & porta cœlo tacta* (Livius: non. *tacti,* ſc. muri; aut *tacta,* ſc. portæ)	*Si Nominibus pluribus, genere diſcrepantibus, Adnomen datur unicũ, aſſimilat ſe illud (genere) aut digniori (1) [eſt a. dignius maſculinum fœminino] aut propiori (2) aut ponitur genere neutro pluraliter (3)*

517. *Puer formoſus:* vel Puer [(1) formoſus facie.	*Quando explicare placet, quâ parte res talis ſit, adducatur Ad-*	§ 59. 142 147 (bis)

2. for-

(2) formosus faciem. (3) formosæ faciei. (4) formosâ facie. ein schöner Knab. Vel ein Knab(1) schön von angesicht (2) schönes angesichtes.	*nomini partis illius Nomen in Ablativo (1) aut per Græcismũ in Accusativo (2) aut ponitur utrumq; simul in Genitivo (3) vel Ablativo (4)*	148 159 175 181 183 (quater) &c.

Obs. VII. de Phrasi hic elliptica.

518 *Annales* (sc. libri) *Bubula* (sc. caro) *Dextra* (sc. manus) *Ex quo* (sc. tempore) *Hâc* (sc. viâ) *Natalis* (sc. dies) *Novale* (sc. rus) Prosa (sc. oratio) *Pugillares* (sc. tabellæ, seu codicilli). *Sutrina* (sc. officina) *Provirili mea* (scil. parte) &c.	*Quædam Adnomina usurpamus sola, Nomine nullo expresso: quia id subintelligi usu receptum est.* *NB. Contra fit interdum, ut Adnomen partitivum reticeatur. Ut in illo Horatij*: Fies nobiliũ tu quoq; fontium (*scil. unus.*)	Vide §13. multa (sc. negotia) *rectâ* (sc. viâ: sic 146) 29. incertum est (scil. res incerta)

XXXV.

Structura Adnominis cum Dativo.

519. Hæc, qvomodo Adnomen trahatur à Nomine; audi Jam, quomodo ipsum Adnomen trahat alia Nomina, primùm in Dativo; deinde in Ablativo, & Genitivo.

Regula generalis IV.

520. Ad ostendendum CUI res talis sit, additur Adnomini Nomen in Dativo,

Bonus aliis, Malus sibi. Similis patri. Affabilis omnibus. Jucundus esui. Amœnus visui &c.	*Talia potissimùm sunt Adnomina* (1) *Commodi & incommodi.* (2) *Aptitudinis & ineptitudinis.* (3) *Facilitatis & difficultatis.* (4) *Amicitia & odij.* (5) *Propinqvitatis & aqualitatis, aut contra.* (6) *Verbalia in*-bilis, *&*-ndus.	86. 58. 193. 169. 216. 105. &c.

Obs. I. de Ellipsi Adnominis regentis.

521 Emporeutica (charta) *non est scribendo* (sc. *apta* Plin.) *Semen* exoletum *non est serendo* (sc. *utile*. idem) Non sum *solvendo* (sc. sufficiens.)

Adnomen aptitudinis *aliquando dissimulatur*, *Dativo gerundij manente*.

Obs

Obs. II. de Enallage Dativi recti.

522 Calcei *habiles* { *Pedibus*, *ad pedes*. *Induii*. *ad induendum*. *Cereus* (in vitia *flecti*. *Hor.* Tüchtig zu etwas / werden.)	*Eadem Aptitudinis Adnomina Dativum commutari patiuntur in Accusativum, cum Ad, vel Infinitivum.*	§ 386 177 &c.

XXXVI,

Structura Adnominis cum Ablativo: ellipticè autem cum Genitivo & Accusativo.

523 *Magnus corpore*: Groß am Leybe) (2) *Fessus labore*: (Müd von Arbeit.)	*Ad ostendendum, quâ parte, (aut unde) res talis sit, additur Adnomini nomen partis (aut causæ) in Ablativo.*	165 169 352

Obs. I. Constructionis ratio.

524 Cicero tamen dixit, *Fessus de via.* Et Livius cùm alibi dicat, *Liber omni metu*; alibi addit *Liber a metu*

Plena loquutio videtur esse cum præpositione (A, vel De) quas ideò Authores aliquando exprimunt.

NB. Talis Ablativus (sine Præpositione) reperiri videa-

metu. Cicero, *Parvo contentus:* & alibi, *De his vita communis contenta est.*

videatur Nomine etiam (*ut in illo Terentij, Tu illi* naturâ pater es. *sed illud* naturâ, *referendum erit potius ad Verbũ* es. (*Vide Regulam generalem XI.*)

Obs. II. Enallage Casuum septuplex.

525. *Hilaris vultu* vel *vultum. Illustris genere,* & *genus: Syrus patriâ,* & *patriam.*

(1) *Ablativus ille per Græcismum mutatur in Accusativum.* (Hilaris vultum, i. e. *quantum ad vultum.*)

526. *Rudis rerum*) i. e. à notitia rerum) *Avidus cibi* (h. e. causa cibi) *Memor lethi* (i. e. ratione lethi) *Reus furti* (i. e. crimine furti.) Ager *lætus frugum* (proventu frugũ) *Tenuis opum* (apparatu opum.) *Fessus rerum* (Virgilio; i. e. molestiá rerum) (Germ. Von/An/&per Genitivũ.

(2) *Adnomina quæ* Notitiam (2) Desiderium (3) Curam (4) Metum, vel *cõtra, significant,* pro Ablativo Genitivum requirunt: *sed per ellipsin alicujus Ablativi.*

NB. Sed loqvutiones hæ Poëticæ potiùs sunt, quam oratoriæ. Poëta n. dicit, *Integer animi:* Orator, *Integer animo.*

527. *Cupidus discendi,* vel *discere* (Begirig der Lehre/vel zu Lernen) *Avidus cibi,* vel edere.

(3) *Adnomina tamen* Desiderij, Notitiæ Facilitatis, *Genitivi vel Ablativi) loco Infinitivum*

Fa- vum

Facilis dictu, vel *dici*.

528. *Anxius vicem* alicujus (i.e. ob vicem Bekümmert seiner halben/umb ihn.)

529. Longus sex {*pedibus* / *pedes* (i.e. ad pedes) / *pedum* (i.e. longus mensurâ sex pedum.)}

530. *Plenus vino*, & *vini* (i.e. liquore vini) *Dives pecore*, & *pecoris* (i.e. respectu pecoris) (Voll weins: Reich am Vieh.)

vum admittunt. (*Vide* § 177.)

(4) Solicitudinis Adnomina *etiam Accusativo junguntur: sed propter ellipsin Præpositionis OB.*

(5) Qvantitatis Adnomina *accipiunt Ablativum, vel Accusativum, vel Genitivum, mensuræ: sed hoc & illud per ellipsin.*

(6) *Adnomini* Copiæ & inopiæ *adstruitur Ablativus rei, quæ adest vel abest: aut Genitivus, per ellipsin Ablativi.*

NB. Qvædam ex his usitatiùs *Ablativum retinent*: ut *Captus, Cassus, Contentus* 622. *Onustus* 910. *Orbus* (738.) (2) Qvædam *tantùm cum Genitivo* reperiuntur, ut: *Compos* (655) *Impos* 654. *Consors, Exsors, Expers*, 187. *Particeps*, 756. *Fertilis, Largus, Prodigus.* (3) Qvædam *Genitivum non* admittunt: ut *Præditus*, 121, *Turgidus* 152, *Gravis, Mancus.* (4) Qvædam in super Præpositione *Ab*, seu A, gaudent: ut *Vacuus laboris*, vel *labore*, vel *à labore* (Ledig vom &c.) Ita *Inops*, & *Nudus*.

531. *Fas dictu* Cic. *Nefas visu*, Ovid.

(7) *Adnomini* licentiæ, facultatis, usûs, *adstrui-*

Diffi-

Difficile	*cogitatu.* / *cogitando.* / *ad cogitandū* / *cogitari.*	*tur Ablativus supini aut gerundij cum AD: vel Infinitivus.* / *Item*	
Jucundū	*spectatu:* / *spectando:* / *ad spectandū:* / *spectari.*	*Dignus (& indignus.)*	*amore,* / *amari,* / *qui ametur.*

Obs. III. de structura Adnominum in gradu Comparativo: Enallageq; hic triplici.

532. *Versutior qvàm Rota figularis.* Plaut. (Vmbwendiger alß ein Töpferscheib.)

533. *Versutior Rotâ figulari* (i. e. *præ Rota* figulari) *Præpositionis.* (*ut* §

534. *Graviores alitum.*, Plin. *Adolescentiores apum* idē. *O major juvenum*, Hor. (Der grösser e vnter andern.)

535. Varro *doctior, quàm eloquentior.*

Adnomen comparatum *naturaliter stat inter duo Nomina* ejusdem Casûs, *mediante* qvàm.

NB. (1) Usitatè *tamen Nomen posterius mutatur in Ablativum, vi occultata* 188 *bis, &c.*)

(2) *Quando Comparativus partitivè sumitur, respicitq; res comparatas plures, pluralem trahit Genitivum* (*Vi Regula.* § 513.)

(3) *Quando eadem res sibi ipsi* (*ratione duorum quorundam accidentium*) *compa-*

comparatur, adduntur eidem rei duo Comparativi, mediante voculâ qvàm.

Obſ. IV de ſtructura Superlativi Enallageq; hîc duplici.

536. *Acerrimus ex* omnibus *ſenſibus* Viſus Cic. *pulcerrimus ante alios* Virg. *Doctiſſimus inter omnes* (der gelehrteſte vnter andern.)

Superlativo naturaliter additur Nomen plurale, cum particulis ex *vel* ante, *vel* Inter. (*Vernaculè per* Vnter.)

537. *Plato doctiſſimus* { *Graecorum* i.e. è numero Græcorum) *Græciæ* (i. e. è gente Græciæ) }

NB. (1) *Vi tamen partitionis poſtulat* (*Superlativus*) *Genitivum pluralem; aut Collectivi nominis ſingularem.* (*Vide* § 181, 183 *&c.*)

538 Indus { maximus / maximū } { flumi- / num }

Roſa { pulcherrima / pulcherrimus } florum.

(2) *Si Nomina rerū comparatarū diverſi generis fuerint, Superlativus utrivis accommodari poteſt.*

[Qvod ergò § 137 dicitur, *Altum maxima Struthio*, dici qvoq; poterat, *Altum maximus Struthio*. Et § 169, *Inter jumenta maximus Camelus*, dic ſi placet, *maximum*, ſc. jumentum. Simile exemplum § 174. 185 &c.]

Obſ. V. de Ellipſi in Comparativo & Superlativo.

539. Tri-

539 *Tristior* (i.e. parùm tristis, was trawrig) *Tristissimus* (i. e valde tristis, sehr trawrig.) | *Sæpe Comparativus & Superlativus sine Casu sunt, cum Positivi loco usurpantur* (*ut* § 210)

XXXVII

Pronomen cum Nomine.

540. *Pronomina substantiva*, Nominum seqvuntur leges; *adjectiva*, Adnominum. Quæ peculiariter hîc monenda sunt, sequentia sunt.

Obs. I. Enallage Interrogativi & Redditivi.

541. *Quis homo?* vel *quid hominis? Quæ res?* seu *quid rei?* (was für?) Id hominis, id rei, id moris &c. (pro is homo, ea res, hic mos.) | *Interrogativum* Quis, quæ, qvod, *mutatur in* Quid, cum Genitivo. *Idem fit in redditivis.* [Sed hoc Germanis non licet: simpliciter dicendum, ein solcher Mensch/ solche sach/ solcher gebrauch:]

Obs. II. de Demonstrativis, Hic, Iste, ille.

542. Per *caput hoc* juro (Virg. suum ostendens) Tu *istis faucibus* tantùm vini exhauseras (id.) | *Si qvis res proprias enarrat utitur* Hoc (dieses): si *ejus qvem alloqvitur*, Istud (dis) *si tertij, & absentis*, Illud (jenes)

Sic oculos, sic *Ille* manus, sic ora gerebat. Virg.

NB. Ille & Ipse *demonstrant aliqvid cum laude*; Iste, *cum contemptu ferè.*

543. Cùm duo monstrantur, *Hic* dicitur de propiori; Ille, de remotiori, (ut § 170.)

544. Cùm tria; *Hic* significat præsentem, *Iste* remotiorem, *Ille* remotissimum. (ut § 45. & 639. sexies.)

Obs. III. Enallage Relativi.

545 *Hesperus eadem stella* { *quæ Phosporus.* / *ac Phosphorus.* / *cum Phosphoro.* / *Phosphoro.* }

Idem qui, Idem ac, Latinissimè dicuntur: *Idem cum illo*, s. a. v: *Idem illi* (cum Dativo) *Poëticè.*

Obs. IV. de Reciproco, quando adhibendum.

546 *Omnes optant quod utile est SIBI* (Cic. non, *ipsis*) Hera *orat*, si *se amas*, ut ad *se* venias (Ter. non, si *illam* amas, ut ad *illam* venias: quia Verbum principale est *orat*, tertiæ personæ, quam eandē respiciunt Pronomina illa.)

Qvum de tertia persona dicitur aliquid ad eandem se reflectens (*ut Verbum & Pronomen ejusdem personæ sint*) *utimur reciproco, non demonstrativo.*

[NB. Apud Slavos etiam in prima & secunda persona reciprocatio fit: non item apud Latinos & Germanos. Illi n. suâ lingvâ dicūnt, *Amo se, Amas se, Amat se*: hi & *isti*, Amo

isti; *Amo me*, ich liebe mich; amas te, du liebest dich; amat se, er liebet sich.]

547. Cicero tamen: *Deum agnoscimus ex operibus EIVS*; qvanquam etiam dicere potuisset, SUIS.

548. *Herus accersit Villicum, & filium suum* (nempe Heri, qui accersit): & *filiũ ejus* (nempe villici.)

Interdum tamẽ Latini relativo utuntur pro reciproco, ambiguitatis evitandæ causa.

Qvando personæ tertiæ duæ sunt, duóque Pronomina, reciprocum *datur illi cujus est Verbum: alteri v. datur* relativum.

Obs. V. de Possessivis.

549. *Amor mei*, quô me alius amat: *Amor meus*, quô ego alium. *Odium nostri*, quô nos alij oderunt. *Odium nostrum*, quô nos alios.

Pronomen junctum Nomini, affectum designanti, in Genitivo significat passivè, in Possessivo activè.

[*Dantur tamen in contrariũ exempla.*]

XXXVIII.

Structura Verbi cum Verbo, sine copula.

550. *Potest* esse. *Scit* canere. *Vellet* amari. *Conatur* evadere

Ad ostendendum, quid res Possit, aut Sciat, aut Velit, aut Conetur (*esse, vel agere* vel

dere (Bemühet sich zu entgehen) Sic § 6. 14. &c. | vel parti) jungitur Verbo tali Verbum aliud in Infinitivo.

[NB (1) Etiam utrumq; Verbum infinitivè stare potest: *Posse fieri, Scire cavere, Velle amari &c.*
(2) In Verbis conandi Germani præmittunt Infinitivo Zu: Er befleissiget sich (vnterstehet sich/ wäget sich &c.) zu thun.]

551. Cæterùm quia Latinis loco Infinitivi perpetui usurpantur Gerundia & Supina, horum usum verum jam disce.

Obs. I. de Actione subeunda.

552. *Eundum est tibi. Moriendum est omnibus.* (Du solt gehen/ wir müssen alle sterben &c.) | *Actio (vel passio) subeunda, exprimitur Gerundio in* -dum, *cum Verbo* est, & Dativo.

Obs. II. de Actione intenta, seu ad quam itur.

553. *Ire* {*ad spectandum* / *spectandi causâ.* / *spectatum.*

It eam visere, Ter. (pro visum, seu visitatum) (Kommen zu beschawen/ zubesuchen) Vide § 10. | *Actio ad quam itur, exprimitur Gerundio in*-dum *cum præmisso* ad; *vel in*-di, *cum adjecto* causâ, gratiâ, ergò; *vel Supino in*-um; *vel etiam (Poëticè) Infinitivo nudo (Germ. præmisso* Zu.)

Obs. III. de Actione actioni implicata.

554. *Spectando oblectari* (Mit schawen sich ergetzen) *Curando* quædam *fieri* majora videmus vulnera. (Ovid. i. e. *dum curantur.*)

555. *Spectando spectare: Videndo videre* &c. (Sehend sehen.)

Actio actioni (vel passio passioni) implicata, exprimitur Gerundio in-do. (*Germanicè præfixo* Mit/ vel durch.) (Vide §122. 123. 124. &c.

Idem Verbū sibi ipsi sic per Gerundium copulatum, certitudinē notat.

Obs. IV. De Actione à qua reditur.

556. *Redire spectatu* (i. e. à spectatu, seu à spectando.)

Actio (*seu* passio) à *qua reditur, exprimitur Supino in-u ellipticè.* (*Germ. per* von.)

XXXIX.

Structura Verbi cum Nominativo: (*vel* Vocativo.)

557. Quia omne Verbum aliquid *esse*, aut *agi*, aut *subire*, pronuntiat, necessariò secum trahit Nomen, quod rem illam quæ *est*, vel *agit*, aut patitur, indicet. Ut,

558. *Bellum est: Alexander vincit: Darius vincitur.* (*Exempla occurrunt in singulis Periodis.*)

Ad ostendendum quid sit, *vel* agat, *vel* patiatur, *additur Nominativo Verbum finitum, simili numero & personâ* (*)

Obs.

Obs. I. de Nominativo variante.

559. Ventus flat; der Wind wehet. Flat ventus: Es wehet der Wind.

(1) *Naturaliter Nominativus praecedit, Verbū sequitur: saepe tamen fit inversio.*

(*N. Germanis si Verbū praecedat, praemittitur occultè Nominativi loco* Es.)

560. *Audi tu popule Albane.* Livius tamen: *Audi tu populus Albanus.* Et Plautus: *Stultus tace* (pro Stulte.)

(2) *In Verbis personae secundae Nominativi loco Vocativus est.* (*Retinetur tamen ibi quoq; interdum Nominativus, per Atticismum.*)

561. *Sapere, est* non nimium sapere.

Psalmos, est vox Graeca.

(3) *Nominativi itē loco stat alius quandoq; Casus, vel alia quaecunq; vox materialiter sumpta.*

Obs. II. de Nominativo occultato.

562. *Dixit autem* (nempe is, de qvo jam loqvuti sumus) Er aber sprach.

(2) *Pluit* / *Ningit* / *Tonat* } sc. Coelum, Vel Deus, vel &c.

Es regnet/ es schneyet/ es donnert.

Saepe Nominativus omittitur,

(1) *Cùm ex praecedenti sermone notus est.* (*ubi tamen Germani Pronomen repetunt*)

(2) *Cùm nescitur.* (*Qualia* Verba exemptae actionis *vocantur. Germanis* Es: *i. e. quiddam, quod nescio nominare.*)

(3) *Ajunt*, vel *dicunt* (scil. homines) *Scribunt*) (nempe historici) Man sagt/ schreibt &c.

(3) *Cùm nominare nolumus, unus ne an plures dicant.* (*Germ.* Man/ *i. e. quispiam, quem nominare nescio, vel nolo,*)

(4) *Qvid agitur?* Was thut man? *Sedetur, statur, itur* &c. Man sitzt/ stehet/ gehet. Vel Es sitzet sich &c.

(4) *Cùm impersonaliter loqui libet, fastu aut joco.*

(5) *Fiet*: es soll geschehen (pro, Faciam: seu, Faciet is, de quo sermo est.)

(5) *brevitatis, vel emphaseos causâ.*

Obs. III. de Verbo occultato.

563. *Mali corvi malũ ovum* (est.) *Ecce nuntius!* (scil adest.) *Nulla dies sine linea* (abeat.)

564. *Invidere omnes mihi* (Ter. scil. cœperunt) *Facilè perferre omnes* (sc. poterat, idem) (Sie mißgönneten ihm alle. Er kundte sie alle wol vertragen)

(1) *Sæpe Verbum omittitur: præsertim substantivum, & in Adagiis.*

(2) *Quandoq;* (*in relatione facti alicujus*) *adest Verbum, sed infinitivè positum: atq; tum finitũ aliquod intelligitur.* (*Talem ellipsin ignorat Germanorum sermo.*)

Obs. IV. de Anomalia numeri, in Nominativis pluribus.

565. *Ale-*

565. *Alexander & Darius pugnant.*

Grex (avium) *volat*: vel *volant.*

(1) *Nominativis singularibus duobus Verbũ sociatur plurale: uni autem Collectivo, singurale vel plurale.*

566. *Arma currusq; fuit.* Et: *Currus armaq; fuerunt.*

(2) *Si Nominativi plures discrepant numero, Verbũ se accommodat propiori.*

567. *Tullia, deliciæ nostræ, flagitat* (munusculũ tuum. Cic.)

(3) *At si Nominativus alter sit nomen appositum, Verbum respondet principaliori.*

[Vt hic, *Tulliæ flagitat.* Illa n. est persona, de qva loqvitur: *deliciæ*, appositum ejus duntaxat.]

568. *Tungri, civitas Galliæ, habet* (fontem insignē. Plin.)

(4) *Si Nominativus prior fuerit nomen proprium, & plurale, Verbum potius respondet communi.*

569. *Duo fulmina* imperij nostri, Cnejus & Publius *Scipiones, exstincti* occiderunt. Cic.)

(5) *Si Nomina fuerint diversi generis, Verbumq; habeat adjunctũ sibi Participiũ, hoc respondet principaliori Nomini, non apposito.*

[*Exstincti Scipiones*: non *exstincta fulmina.* De Scipionibus n. sermo est: *fulmina*, illorum est duntaxat epitheton, seu appositum.]

Obs. V. de Anomalia personarum.

570. *Ego, & tu, loquimur. Tu & ille auscultatis.*

Si Nominativi fuerint diversarum personarum, Verbum respondet digniori.

[Dignior autem est persona prima qvàm secunda; & secunda qvàm tertia.]

XL.

Structura Verbi cum Nominativo gemino.

571. *Ira est furor* (brevis. Hor.) *Is evasit Epicurus.* Cic. *Apis nascitur artifex* Plin. &c. Item: *Nemo saltat sobrius. Homo incedit erectus* &c.

Regula gen. VIII. *Verba quæ* esse, *aut* fieri *aut* cognosci, *&* appellari, *significant, requirunt utrinque Nominativum.*

NB. Idem est cùm Verbo activo additur (Adverbii loco) Adnomen, ad significandum, modum, quò aliquid est, aut fit.

Vide 54. 16. 17. 18. 22. 33. &c.

Obs. I. de Anomalia Numeri.

572. *Nuptiæ sunt* (vel *est*) *res* honesta. *Amantium iræ sunt* (vel est) *redintegratio* amoris.(Terentius dixit, *est.*)

Si duo Verbum circumstantes Nominativi fuerint diversi numeri, Verbum utrivis respondet.

[Usitatiùs tamen priori respondet: posteriori ferè Poëticè.]

Obs. II. de Anomalia Generis.

573. Non omnis *error* *dicendus est* } *stultitia.* *dicenda est* *Paupertas* {*visa* / *visũ*} est. onus *grave.*	*Similiter si Nominativi fuerint diversi generis, Participium medium (loco Verbi positũ) utrivis respondet.*

Obs. III. de Anomalia numeri & generis simul.

574. *Gens* universa *appella* {*ta est* / *ti sunt*} *Veneti.*	*Si deniq; Nominativi & numero & genere differunt, Participium cum suo Verbo utrivis accommodatur.*

Obs. IV. Enallage Nominativi in Accusativum.

575. *Simonem appellavit Petrũ. Davidem salutârunt Regem* &c.	*Verba essendi, æstimandi, appellãdi, si efferantur activè, mutatur geminus Nominativus in geminũ Accusativum.*	Vide § 34. 45. 46. 71. 72. &c.

Obs. V. Enallage Nominativi in Vocativum.

576. *Tu venias hodierne* (Tibull. i. e. *hodiernus*, i. e. hodie.) Quẽ *tu trabeate salutas* (Pers. i. e. *trabeatus*)	*Poetæ Nominativũ posteriorem* (*post Verbũ persona secunda*) *mutant in Vocativũ.*	§ 997 *Macte esto virtute* i. e. *Tu esto mactus.*

XLI.

Structura Verbi cum Dativo.

577. *Tibi aras, tibi occas: mihi* iſtic nec *ſeritur*, nec *metitur*. Plau. *Sunt nobis* mitia poma, Virg. *Mihi peccat*, ſi quid peccat, Ter.	Regula gen. IX. *Quodlibet Verbum admittit Dativum ejus perſonæ aut rei, cui aliquid eſſe, aut fieri, ſignificatur.*	§ 6. 7. (bis) 9. 12. (bis) 180. (ter) 192. 290. &c.

Obſ. I. De ſpecialiter huc ſpectantibus.

578. In primis huc pertinent *Verba* (1) *Promittendi aut comminandi*. (2) *Dandi & adimendi*. (3) *Committendi & imperandi*. (4) *Obtemperandi & adverſandi*. (5) *Iraſcendi & ignoſcendi*. (6) *Narrandi & reticendi*. (7) *Juvandi & nocendi*.

[Excipe (1) à Verbis imperandi, *Jubeo*, quod Accuſativum rei poſtulat; aut etiam Accuſativum perſonæ, ſed non niſi cum Infinitivo. Vt: *Lex jubet ea, quæ facienda ſunt*, Cic. *Lex jubet nos facere*, quæ juſta ſunt. (2) *Juvare* Accuſativo jungitur.]

Obſ. II. de gemino Dativo.

579. *Eſſe alicui ornamento* (Einem zur Zierde ſein.) aliquid *Dare*	*Verba quibus aliquid & perſonæ tribuitur, & rei, geminum accipiunt Dativum.*

Dare alicui pignori. (Einem was zum pfād geben.	(*Quorum posterior Germanis exprimitur addito* Zu.)

XLII.

Structura Verbi cum Accusativo.

580. *Videre aliquem. Hortari amicum* (Einen sehen / vermahnen &c.)	*Omne* Verbū transitivo-activum *requirit Accusativum, illius personæ aut rei, in quam actio transit.*	*Exempla ubiq; obvia sunt.*

Obs. I. de Verbo activo in Passivum mutato.

581. *Videri ab aliquo. Moneri* ab amico (Von einem vermahnet werden)	*Verbum activum passivè prolatum mutat Accusativum in Ablativū, cum AB.* (*Deponens autem mutari sic non potest, nisi sumas ejus synonymum formæ primæ.*)

Obs. II. de Accusativo intransitivorum.

582. *Vivere vitam* (vel *vitâ*) *Gaudere gaudi-um* (vel-o) *Dormire somn-um* (-o) *ire*	*Etiam intransitiva Accusativum admittunt, sed Nominis eandem actionem significantis, NB. Ille tamen*

 Accusa-

Ire viam (vel *viâ*) (Einē süssen schlaff schlaffen)

Accusativus in Ablativum mutari solet.

583. *Vivitur* (scil. vita) *Luditur* (scil. ludus) *Dormitur* (sc. somnus) *Itur Athenas* (i. e. itur iter quod ducit Athenas.)

Atq; si hac proferas formâ passivâ, fiunt Verba impersonalia: quibus tamen subintelligi potest Nominativus, ex Accusativo factus.

Obs. III. de Accusativo gemino.

584. *Docere aliquē literas.* (Einen etwas lehren.)

Si actionis objectum duplex fuerit, persona & res, Accusativus fit geminus, personæ & rei.

[Hic n. revera actio transit, & in literas, quæ traduntur, & in Discipulum, qui literis imbuitur.]

585. *Doceri ab aliquo literas*: (von einē etwas gelehret werden.)

Talia passivè prolata mutant Accusativū personæ in Ablativū (cum præpos. A;) Accusativus autē rei manet.

586. (1) *Peto à te.* (2) *Exigo, Flagito, Posco, Rogo, te pecuniam*, vel à te pecuniam. (3) *Moneo, Celo, Edoceo, te hanc rem* &, *te de hac re.* (4) *Scitor, Percontor, Quæro, te de aliqua re*; vel, *a te* seu *ex te, aliquid.*

Ejusmodi Verba fere sunt, quæ docere, Monere, Rogare, Appellare significant: quorum tamen nonnulli syntaxin variant.

587. *Facio te Deum* (Ter. Einen zu einem Gott machen) *Dare filiam uxorem* (i. e. in uxorem, zum) *Præstare se virum* (sich einen Man erweisen.)

Sunt & alia duplicem Accusativũ regentia: Nominum nempe quæ per appositionem sibi juncta seinvicem explicant.

Obs. IV. de Accusativo occultato.

588. *Solvere è portu* (sc. navim) *Degere alicubi* (sc. vitã) *Nubere viro* (sc. se, aut caput) *Abstinere* placitis. (seu à placitis.)

Sæpe Accusativi loco alius casus ponitur: Accusativus tamen tacitè intelligitur.

Obs. V. de Accusativo in alium Casum mutato.

589. *Suadere, Adulari, Nocere, Parcere, Benedicere & Maledicere; aliquẽ* vel *alicui.*

Verba inferentia notionem commodi vel incommodi, admittunt seu Accusativũ seu Dativum (*Confera* § 743, cum 939.)

590. *Uti* {*aliquã rem:* / *aliquâ re.*} *Vesci carn-es,* & *-ibus* *Fungi offici-um,* &, *-o.* *Potiri Regn-um-o,* & *-i.*

Quinque hæc, Uti, Frui, Vesci, Fũgi, Potiri, *pro Accusativo Ablativum recipiunt:* Potiri *etiam Genitivum.*

[Ratio prioris est: quia quod Verbis illis jungitur, Instrumenti potius quàm objecti significationem habet: ut *Frui voluptate,* i. e. oblectari voluptate. In Genitivo autem Verbi *Potiri,* manifesta est ellipsis Ablativi *Potirã Regni* (sc. imperio) *potiri rerum* (sc. usu, seu arbitrio.]

591. *Oblivisci nomen* (alicujus) *seu nominis*. *Recordari ali-quem*, & *-cujus*.

Commoneo te { *hanc rem* / *hujus rei* / *de hac re*. }

Venit in mentem ejus rei, vel *de hac re* (scil. recordatio.)

Verba Memoriæ & Oblivionis *Accusativum quidem habent*, *sæpiùs tamen Genitivum adhibent*, *per ellipsin*. [*NB. Integrè Cicero dixit*: Pueritiæ memoriam recordari. *Ubi si tollis* (memoriam) *habes consuetam ellipticā syntaxin*.]

592. Posse loqui (seu loquelam) *Scire canere* (h. e. cantum) *Velle scire* (h. e. velle scientiam) *Conari vincere* (i. e. Victoriam..)

Verba Facultatis, Sciētiæ, Voluntatis, Conatûs, *loco Accusativi recipiunt Infinitivum*. (*Is n. significat actionem quam quis potest, scit, vult, conatur*. Confer supra § 549.)

593. *Scit fidibus* (nempe canere) *Scit Latinè* (nempe loqui) Sic vernaculè: Lateinisch kōnen.

Ellipsis hîc particularis est: *quòd Infinitivus quoq; ille sæpe dissimulatur*.

594. Varro dixit: *Quærendum est radices*. Cicero: *Ingrediendum est nobis viam*. Sed usitatius nūc, *Quærendæ sunt radices*: *ingredienda nobis est via*. &c.

Verbū activum Gerundivè prolatum, *admittit quidem Accusativū objecti*, *sed duriter*: *mollius mutatur in Participiū gerundiale*, *Accusativumq́*, *mutat in Nominativū*. (Confer supra § 552.)

XLIII.

XLIII.

Structura Verbi cum Ablativo: & per Ablativi ellipsin cum *Genitivo.*

595. *Videre oculis* (Mit den augen) *Ferire gladio. Vincere prælio, lusu, disputatione* (seu, *præliando, ludendo, disputando*: Mit spielen.)

Ad ostendendum, Quô instrumento *quid fiat, jungitur cuivis Verbo Ablativus* (Vide § 73. (sexies) 213. (qvinquies) & aliâs sæpe.)

[N. (1) Si Ablativus Nominis defuerit, Ablativus Gerundij adhibetur: ut § 126. 128. 184. &c. (2) Germani hoc citra præpositionis operam (Mit) efferre non possunt: Latini (Græci, Slavi) Præpositione nunqvam utuntur.]

Obs. I. de alio Ablativi usu.

596. *Esse naturâ* Deum.
(2) *Prohiberi pudore.*
(3) *Ire gradu lento.*
(4) *Laborare pedibus.*
(5) *Dormire nocte.*
(6) *Stare loco.*
(7) *Niti hastâ.*
(ut § 212. 214. & 125.)

Idē fit cùm explicatur alicujus essentia, actionis vel passionis,
(1) *origo.*
(2) *causa:* § 111.
(3) *modus:* § 125. 129.
(4) *subjecta pars:* 601.
(5) tempus.
(6) *locus.*
(7) *adminiculum quodcunque.*

Excipe.

Excipe.

597. Sed & dicimus: *Esse à natura*, Von (2) *Exilire præ gaudio*, Für (3) *Legere cum cura*, Mit (4) *Laborare ex pedibus*, An. (5) *Surgere de nocte*, In. (6(*Stare in loco*, auf der stelle. (7) *Niti in aliquo*: Cic: Auf jemanden sich verlassen.

598. *Pelle* {*hunc à foribus*. Plau. / *timorem animo*. Idē.

Prohibere. {hostē *à pugna*. Cęs. / aliquem *ludo*. Cic.

Interdicere igni & aquâ

Abstinere {*à re aliqua* / *re aliquâ*.

Talibus tamē quandoq; additur Prapositio, qua in exprimendo Instrumento nunquā locū habet: ut dictum est ad § 594. *N* (2) [*Vide* § 288 *ter*, *collato cum* § 293, *sexies*: & *alibi*.]

Speciatī Verba prohibendi, abstinendi, distandi, *Ablativum requirunt rei illius, à qua quid prohibetur, aufertur, abstinet, vel distat; sed jam cum Prapos. jam sine illâ*. [*Confer* § 610. *cum* 622. &c.]

Obs. II. de Verbis quatuor classium, quæ Ablativum Genitivo commutant.

599. *Cicero cùm alibi dixisset*, Pendere animo (mit den gedancken hangen bleiben) *alibi tamen dicit*, Pendere animi, (scil.

[1] *Verba* Cogitationis, Curæ, Dubitationis, *Ablativum commu-*

(scil. *cogitatione.*) *Sic ergò dicimus*, Falli animo, & animi (*sc. opinione.*) Desipere mente, & mentis (*sc. stupore*) Excruciari animo, & animi (*solicitudine*) &c.

commutant in Genitivum: sed cum ellipsi alterius cujusdã Ablativi intellecti.

600. *Abundare divitiis: Spoliare bonis* &c. Sed & *Egere auxilio*, & *auxilii* (sc. *ope*) *Implere vino*, & *vini*(liquore) *Morte carent animæ*, Ovid: Terentius autẽ : *Carendum erat tui* (scil. præsentiâ.)

[II] *Verba* Copiæ *& inopiæ omnia quidem Ablativo rei adjuncta junguntur: quædã tamen Genitivum quoq; recipiunt, ellipticè. Vide* § 128. 252. 628. &c.

601. *Data magno æstimas, accepta parvo*, Sen. Et: *Tanti res valet, quanti vendi potest.* Hinc illa: *Æstimare magni*, vel *parvi. Flocci facere, Nihili pendere. Nauci habere* &c.

[III] *Verba* æstimandi, *& de hinc* mercandi, *Ablativum pretii poscunt: ellipticè tamen cũ Genitivo efferuntur.*

[Ergò cùm dico : *Rem magni æstimo* : duplex est ellipsis, Verbi & Nominis intellecti. Integrè n. diceretur: *Æstimo rem (esse) magni (pretii.)* Et: *Facio rem (esse) flocci (unius pretio.)* Talis occulta constructio talibus omnibus inest.]

602. *Quanti* emisti ? *Tantine* an *Pluris*? Ego *minoris* emi. (h. e. *Quanto pretio* emisti ? Tan-

Mercandi Verba non nisi quatuor Genitivos admittunt (*Quanti, Tanti, Pluris, Minoris*) : *qui* tamen

Tantóne (*pretio*) an *pluri?* Ego *minore* (*pretio*) emi.)

603. Cicero dixit, *Accusare aliquem de veneficio* Alibi tamen (omisso *de*) *Condemnare crimine.* Alibi rursum cum Genitivo: *Postulare flagitij* (h. e. de crimine flagitij.) &, *Absolvere criminis* (sc. notâ) *Condemnare inertiæ* (sc. culpâ) *Condemnare capitis* (sc. pœnâ). Et *Teneri* furti (actione: wegen eines diebstals angehalten werden) &c.

tamẽ si addas nomen pretij, in Ablativũ redeunt. (§ 797. 798.)

[IV] *Verba* accusandi, damnandi, absolvendi, *Ablativum proprie poscunt, cum* de, *vel sine illo: plerumq; tamen Ablativi loco Genitivus est, per ellipsin.*

[Ellipsis illa talis est. *Accusare de Veneficio*, integrum est. Interponitur v. sæpe nomen *criminis*: diciturq; aliquis *accusari* (*condemnari, absolvi*) *de crimine Veneficij*: & sic emergit Ablativo sociatus Genitivus (Vi Regulæ generalis II. *crimen Veneficij.*) Tum omittitur *de* (sicut in illo Martialis *arguitur crimine pigritiæ.*) Tandem ipse quoq; Ablativus (*crimine*) omittitur, remanetq; solus Genitivus, *Arguere pigritia, Accusare Veneficij, Damnare sceleris* &c. Similiter Germanis: Einen der Zauberey (pro / wegen der Zauberey) beschuldigen / loßsprechen &c.]

XLIV.

Structura Verborum Impersonalium.

604. Non te *hæc pudent?* Ter. (2) Mei

Omne Verbũ impersonale

(2) Mei *nemo miseret*, Plau.
(3) *Illud* mea *interest*. Cic.
(4) *Pœnitet me* (sc. animus, pœnâ me afficit.)
(5) *Oportet ire* (h. e. opus fert)
(6) *Nō decet te* (sc. hæc res.)
(7) Non *licet* tibi (*istud*) &c.

personale Nominativū habet: rarius tamen expresse (*ut hic est*, 1, 2, 3): *sæpius* occultè (*ut* 4, 5, 6, 7)

Obs.

Sed præter Nominativum alios post se trahunt Casus, eosq; diversos. Qvod attende.

605. *Est cernere* (man kan sehē/es ist zu sehen) (2) *Est mihi* liber (ich hab) (3) Jam *multos annos est, cùm possideo* hanc domum Plaut. (*pro* sunt multi anni)

Est, *pro* licet, *requirit: Infinitivum* Est, *pro* suppetit, *Dativum*: Est, *pro* durat, *Accusativum temporis*.

606. *Licet Vobis, ire, si Libet ire. Constat omnibus factum esse. Latet mihi*, Cicero (Plinius tamen dicit. *Latet me.*) *Contingit cadere* &c.

Libet, licet, liquet, Constat, Patet, Latet Contingit &c Dativum postulant, aut Infinitivum, aut utrūq. (*Vide* § 874. 316. 559. 646. 990. *&c.*)

607. *Decet me* hæc vestis, Plaut. *Decet* sic *fieri*, Cic *Delectat audire*. *Juvat me* (& *mihi*) Plaut.

Decet, Delectat, Juvat, *Accusativū accipiunt, aut Infinitivum, aut utrumq.*

608. *Miseret me tui* (sc. tui causa) *Pudet me*

Impersonalia Patherica (*animi passionē significantia*)

me facti (seu fecisse.) Pœnitet (vel Tadet, Piget) vitæ, aut vivere &c.

609. Expedit, aut opus est { nobis esse bonis / nos esse bonos / nobis esse bonos (§. 428, ter.)

610. Scire id refert) seu interest) { meâ, nostrâ; / tuâ, vestrâ; / Ciceronis; / omnium. (*)

(2) Refert { multùm: / magni: / maximè.

ficantia) accipiunt, præter Accusativũ personæ, Genitivũ rei (sed elliptice) aut Infinitivum.

Datur, licet, Expedit, Opus est, Necesse est, requirunt Infinitivum, cũ gemino Dativo, aut gemino Accusativo, aut Dativo & Accusativo.

Refert, & Interest, requirunt Infinitivum cum Ablativo primæ & secundæ personæ, Genitivo autem tertiæ.

(2) Prætereàq; Nominativum, aut Genitivũ, aut Adverbium.

[Nominativi illi sunt: Quid? id, hoc: quantum, tantum, multum, plus, plurimum, parum, tantulum, nihil. Genitivi: Quanti, tanti, magni, parvi, pluris, Adverbia: Magis, maximè, minimè, vehementer.]

611. Opus est mihi veste: Opus est eã induere. (2) Dux & author nobis opus est: (Cic: Exempla nobis multa opus sunt (idem) (3) Aliquantum nobis temporis, & magni laboris, & multæ im-

Opus est (& Poëticè, Usus est) impersonaliter usurpatum (pro, indigemus) jungitur præter Dativum personæ Ablativo rei, aut Infinitivo, usitatè. Reperitur tamen etiam cum Nomi-

impensa, opus fuerunt (Cic.) (4) *Opus est cibum puero* (Plaut.)

612. Oportet fieri (es muß/oder soll / geschehen) Oportet te esse nequam (Plaut. du must ein schalck sein.)

Nominativo (2) *aut* Genitivo (3) *aut* Accusativo (4)

OPORTET, cum Infinitivo usurpatur. § 603, 798.

(*N. Si Accusativũ habet adjunctum, is ab Infinitivo pendet, Sententiaq; contractæ indicium est.* *Vide infra* Cap. LXIV.)

XLV.

Structura Participij cum Nomine.

613. *Participia Nominibus copulari Adnominum* more (eodem numero, genere, & casu) *constat* ex § 505. & 508. *Sed præterea.*

614. *Accusans aliquẽ* (v. *accusatus* ab aliquo) *furti* : *Doctus Grammaticam* (quẽ docuerunt) *Patiens frigus* (qui nunc patitur, leydend.)

Reg. gen. XIII. *Participia adsciscunt Casus Verborum suorũ.* (*Vide* § 21. (*quater*) 46. 92. (*quater*) 428. 429. *&c.*)

Obs. I. de Participio in Adnomen mutato.

615 *Patiens frigoris* (qui pati potest: Gedültig.) *Doc-*

Participium Adnomen factum pro Casu Verbi sui

Doctus { *Grammaticæ artis* Plin. (Cic. *literarū Græcarū* } *sui assumit Genitivum.* (*Vide* §

Obſ. II. de ellipſi Præpoſitionis.

616 *Pompejo pugnante*: (Alß/ oder in dem/ Pomp. ſtreitet.) *Pompejo Victo.* (Alß / oder nachdem/ Pomp. vberwůnden war) *Alexandro regnante* (Alß/ da / wann/ Alexander Kônig war.)

Participium cum Nomine in Ablativo poſitum, tempus ſignificat. Sed per ellipſin præpoſitionis A, vel In, vel Cū, & Sub. (*ſicut dicimus* A prandio nach dem eſſen / alß man geſſen hatte. Vide § 4. 451. 452. &c.)

Obſ. III. de ellipſi Participij.

617. *Me puero* (ſc. exſiſtente: da ich ein Knabe war.) *Cicerone Conſule* (exſiſtente) *Alexandro Rege* (exſiſtente; ſeu ſub Alexandro Rege.)

Reperias & duo Nomina ſine Participio ſic poſita, ſed per ellipſin Participij, exſiſtente, vel aliâs. [ut § 451, *Vento ſecundo* (adſpirante): *Vento adverſo* (obſiſtente) *Vento nullo* afflante, &c.]

Obſ. IV. de ellipſi Nominis.

618. *Cæſar audito* (ſcil. rumore: Alß Cæſar hôr.

Rurſum reperias Participium præteritum *ſolum*

hörte) *Nondum comperto* (sc. nuntio: als er noch nicht erfahren hatte.) | *solū (sine nomine) ita poni, ut consequentiam designet: Ablativus tamen alter, Nominis, tacitè intelligitur.*

[NB. (1) De Participio duo respectante Nomina, vide supra 573. & 574.
(2) De Participio Verbis constructo Vide § 618.
(3) De Participio integrum sententiæ membrum constituente, Vide infra § 736.

XLVI.

Structura Adverbij cum Verbo: ellipticeq; cum Nomine etiam.

619. *An* pergimus? *Ubi* sumus? *Quomodo* progredimur? | *Ad ostendendum*, An, Ubi, Quando, Quomodo &c. *aliquid sit aut fiat, additur Verbo Adverbium.*

Obs. I. Quos modos requirant Adverbia.

620. Adverbia pleraq; Verbis junguntur indifferenter, quocunque Modo: excepto quod *Adverbia Optandi, Hortandi, Negandi,* & *Comporandi*, certum requirant Modū. Nam

621. *Utinā pergamus! O perrexissemus jam!* | *Adverbiū optandi subjunctivum requirit.*

622. *Age* {*pergito*, *pergas*. | Adverbium hortandi, & prohibendi, *postulant Imperativum: vel præsentis aut futuri Subjunctivum*.
Ne {*festina*. *festines*. *festinaveris*.

623. *Non venire: nequaquam possum: nec possem* &c. | Adverbia negandi *omnibus conveniunt Modis, præterquã Imperativo*.

624. *Quasi* tu *dicas*, Plau. *Ceu* verò *nesciã*, Plin. | Adverbium comparandi *Verbo sociatũ, Subjunctivum requirit*.

[Nam aliquando non Verbo, sed Nomini vel Adnomini cohæret, Verbo stante quocunq; modo. Vt Cic: Gloria Virtutem, *tanquam umbra*, sequitur. Vbi si addendum esset Verbum, subjunctivè poni necesse haberet, *tanquam sit umbra*.]

Obs. II. Quibus Casibus jungantur Adverbia.

625. *Parùm Vir. Satis Virilis. Nimis viriliter.* (*Vide* § 680.) | Adverbia quantitatis *etiã Nominibus, Adnominibus, Adverbijsq; junguntur*.

626. *En dextra si desq;!* (scil. adest.) *Ecce hominẽ miserũ* (sc. video: vel videte) | Adverbia monstrandi *monstrant per Nominativũ vel Accusativum* (*Verbum tamen quoddam subintelligi potest.*)

627. *Vbi terrarum* tu es *nunc temporis*? *Hic loci* sum. | Adverbium temporis, loci, copiæ, *assumit*

sum. Quando *huc loci* venisti? *Pridie* (vel *postridie*) *calendarum.* | *assumit aliquando Genitivum.*

[*Sed* subest, aut occultum Nomen, in quod se Adverbium resolvit. Vt: Vbi (h. e. quo in *loco*) *terrarum*. Ecce *locus terrarum!* per Reg. gen. 11. Nunc (i. e. in hoc *puncto*) *temporis*. Ecce, *punctum temporis!* Satis (i. sat *multum*, *pecuniæ*. Pridie (i. e præ *die*) *calendarum.*]

628. *Pridie calendas* (i. e. *ante* calendas) *postridie calendas* (postero die *post* calendas.) | *Quando Accusativus Adverbio datur, ellipsis est Præpositionis.*

629. *Propius urbem* (quia dico *prope Urbem*) *Convenienter naturæ* (*quia*, *conveniens naturæ.*) | *Adverbio derivato adstruitur Casus sui primitivi.*

630. *Unà cum* illis. *Seorsim ab* illis. | *Adverbia congregandi & segregandi Ablativum poscunt cum Præpositione.*

XLVII.

Structura Præpositionis cum Nomine: & per accidens cum Verbo.

651. Ad ostendendum actionis (vel passionis, aut essentiæ) circumstantiam, additur Verbo aliqua *Præpositio, suo Casui juncta.*

632.

632. Sunt autem Præpositiones

quædam { unius Casûs { Accusativi, 27. / Ablativi, 11. } ; utriusq; Casûs, 3. ; dubij casûs { *Clam*, / *Tenus*. } }

Obs. I. Quibus Casibus jungantur Præpositiones.

633. Redijt *ADme*, *Ante horã* tabellarius, qui *Apud te* fuit, tuamq; *Erga se* benevolentiã, *Propter allatas literas*, *Ultra modum* deprædicavit. Sed narrat, cùm rursũ esset *Cis amnem* iretq; *Per silvam*, *montem Versus*, *Juxta* (sivè *secus* & *secundùm*) *vallem*, *Inter* duos *clivos*, nihilq; videret *Præter præcipitium Infra se*, & cœlum *Supra se*, & *Pone se* (*Post se*) scrobes: venisse *Ob viam* sibi lupum, & saltasse *Trans fossam*, *Contra se*. Cùm verò nihil *Circa se* videret, nec Extra *semitam* deflectere posset lupusq; consisteret *Prope se*: ille habens *Penes se* hastam, *Circiter quinq; cubitos* longam;

(1) *Accusativo soli junguntur* 27. Ad Ante, Apud Adversus, Cis (citra) Circa (circum) Circiter, Contra, Erga, Extra, Inter, Intra, Infra, Juxta, Ob, Penes, Per, Pone, Post, Præter, Prope, Propter, Secus, Secundùm) Supra, Trans, Ultra, Versus.

634. Cùm lupus *De via* cedere nollet, nec ille fugere *Ab eo* posset, aut stare diu *Coram illo*; eoq; se videret haud *Procul* morte, nisi pugnaret *Pro vita*: licet *Sine socio* (absq; socio) esset, vibravit tamen *Cum impetu* hastam, & transverberavit Lupum, detractasque *Ex illo* exuvias *Præ gaudio* ostentat *Palam omnibus*.

(2) *Ablativo soli junguntur* 11: Ab (*A, seu Abs*) Absq;, Coram, Cum, De, Ex, (*E*) Palam, Præ, Pro, Procul, Sine.

635. Ita sæpe *In pericula* incidimus, & *In periculis* occasionem virtutum invenimus: venitq; *sub oculos* quod terret, rursumq; *suboculis* (subter ocul-os, & is) evanescit. Sed *super alios* est, qvi *Super pluribus* malis triumphat.

(3) *Accusativo & Ablativo junguntur (illi in motu, huic in quiete) hæ tres:* In, Sub (*seu* Subter) supra.

636. Hoc *Clam Vos* (seu *Clam vobis*) esse nolui. (*)

(4) Clam, *eodē sensu utriq; Casui jungitur.*

637. Immersus fui aquæ
1 *Cingulotenus*
2 Pectoribus tenus, Ovid. (Cels. Ingvinibus tenus.
3 Crurũ tenus, Laterũ tenus, Virg. Auriũ tenus, Qvintl.

(5) Tenus, *jungitur propriè Ablativo singulari* (1) *Vel plurali* (2) *aut etiam Genitivo plurali* (3)

Atque

[Atq; hæc eſt unica apud Latinos Præpoſitio, quæ Genitivo jungitur: quem Caſum apud Græcos aliqvot, apud Germanos duæ (Halben, & Wegen) ſibi ſociant.]

Obſ. II. de ellipſi Caſûs.

638. *Ire in* Veneris (ſcilicet *fanū*. Plaut.) *Ad* Dianæ(ſi. *templum.* Ter) *Ante* Caſtoris (*ædem*. Cic.) *Circum* Concordiæ (ſc. *templū*, Sall.)

Ad, Ante, Circum, In, *reperiuntur etiam cum Genitivo, ſed elliptice.* (*Vide ſupra*, § 505.)

Obſ. III. de ellipſi Præpoſitionis.

639. *Initiò* (h. e. in initio, vel ab initio.) *Id exeo* (ob id) Qvid me fiet? (i. de me) Maria juro (Virg. i. per maria)

Præpoſitionum ellipſis creberrima eſt Latinis. Præſertim in nominibus (1) *Temporum* (2) *Locorum* (3) *Menſurarū.* (4) *Cauſæ.*

640. *Anno Chriſti* (i. e. in anno) *Menſe Majo*(i.e in Majo) *Die qvintâ*: colloqvebamur *per tres horas*, & *tres horas*, & *tribus horis*. (Ita § 26. *novē menſibus*, & *totidē menſes*)

[I] *Ad quæſtionē* Qvando *reſpondetur per Ablativum; ad* Qvamdiu, *per Accuſativū vel Ablativū.*

641. *VNDE venis? Ex Italia, Venetijs, Carthagine* &c. *Domo* exeo: Redeo *rure:*

[II] *Qvando Adverbijs* Unde, Quó, Ubi, *per nomen reſpondetur, adhibetur Ablativus & Accuſativus, loci*,

rure: Tollo lapidē *humo.*

QVO ibis? In Italiā, Venetias, Carthaginem &c. *In domum*, vel *domum*: *In rus*, vel *rus.*

UBI est ille? In Italia, Venetijs, Carthagine &c. *Rure*, seu *ruri.*

(3)Sed(NB)*Habitat Romæ*, dices; vel *Mediolani.* Item: *Est domi*, *belli*, aut *militiæ*: jacetq; *humi.*

loci, cum Præpositione: sed in nominibus proprijs Ur*bium & Pagorū (& aliqvot communium) usitatiùs sine Præpositione.*

NB.(1)*De Oppidis Authores utroq; modo loquuntur (integrè & ellipticè) longè tamen usitatiùs ellipticè.*

(2) *Regionū & Insularū nomina etiam usurpata reperiuntur ellipticè, sed rariùs. ut*Cic: Relegari Cyprum (*in insulā Cyprum*) Navigare Cyprum, *Liv.* Proficisci Ægyptū, *Ter.*

(3) Nomina Urbium Declinationis Primæ & Secundæ (singulari numero) usurpant *Ablativi loco Genitivum*, per duplicatam ellipsin. *Romæ*, h. e. *in Urbe Romæ. Domi*, h. e. in loco cui nomen est *domi*, &c.

642. Capua *distat Româ* { *iter tridui.* / *itinere tridui.* } (entlegē zwey tag reise)

[III] *Distantia nomina etiam ellipticè usurpatur, sine Præpositione.*

643. Puer *ætate*: *Sapientiâ* senex, Mater *nomine*, noverca

[IV] *Quomodo, aut cur, aliquid fit, vel dicatur, exprimitur Ablativo, occultatâ præ-*

vercare &c. (vom) | tâ præpositione AB.

Obs. IV. de Concursu Præpositionum propter ellipsin.

644. *In ante calendas*, Cic. (i. *in diem ante* calendas) *Ex ante* diem Nonarum (h. e. *ex termino* qui fuit ante diem non.) Sic: *In de* Cœlo: (i. e. *in libro de* Cœlo.)

Reperias rursum Præpositiones concurrere duas, deficiente alterius Casu.

Obs. V. de Præpositionū anastrophe.

645. *Italiā contra*. Virg *Te sine* nil altū mens incoat: idem. Sic: *Qvamobrē Quemadmodum*, *Cæteris in rebus* (pro, Ob qvam rem, Adquem modum, In cæteris rebus &c.)

Præpositio aliqvando Nomini suo postponitur à Poëtis: ab Oratoribus vero Nomini & suo Adnomini interponitur.

646. *Qvicum*? *Mecum*, *Te-cum*, *Se-cum*: *Nobis-cū*. *Vobis-cum*.

Præpositio CUM, *juncta Pronomini Qvis*, Ego, Tu, Sui *sēper postponitur.*

647. *Mare versus* ire, *Umbilicotenus* mergi.

VERSUS & TENUS ubiq; postponuntur.

[*Versus* ideò, quia orgine sua Participium est: quemadmodum expressit Livius dicens, *Ad meridiem versus consedit* (Nach dem er sich gegen mittag gewendet.) Postea præpositio AD dissimulari cœpta est: ut ostendit illud Ciceronis, *Cùm Brundusium versus ires*. Atq; sic VERSUS significationem Præpositionis AD obtinuit.]

Obs.

Obs. VI. de Præpositione cum Verbo.

648. Per accidens fit, ut Præpositio reperiatur Verbo juncta: nempe (1) Adverbialiter accepta. (2) Gerundio præmissa. (3) cum Verbo composita.

649. *Exijt pòst* (i. postea) *Abijt procùl* (i. longinquè.)

[I] *Præpositio sine Casu posita intelligitur Adverbialiter, respicitq; Verbum.*

650. *Ad scribendũ venis? Inter scribendũ attende, In scribendo* accuratus esto: A scribendo cessa.

[II] *Præpositiones quædam Gerundijs sociantur: præsertim* Ab, Ad, In, Inter.

651. *Adire patrem* (h. e. ire ad patrem) *Excedere Urbe* (cedere ex Ur.) *Traducere copias flumen* (ducere trans flumen)

[III.] *Præpositio Verbo præjuncta facit Verbũ regere Casum suum: etiam qvem Verbum per se non admitteret.* (*Nec n. dicere licet:* Ire patrẽ *&c.*)

652. Sed & dicimus: *Excedere ex* Urbe. *Incidere in* foveam. *Abstinere ab* aliqua re &c.

NB. (1) *In talibus tamen Præpositio non nunqvam iteratur.*

653. Item *Excedere modum,* (Liv.) *Exire limen* (Ter) *Incolere aqvã* (§194: q. d. colere *intra* aqvã.)

(2) *Composita cũ* Ex, *Accusativũ etiã recipiunt,* (*tanquã essent à præpositione* Extra *facta.*) *XLVIII.*

XLVIII.

Structura Conjunctionis cũ aliâ Voce: itemq; *Interjectionis* & *Adjectionis.*

654. Conjunctiones propriè Sententijs formandis serviunt: qvatenus tamen Uocem Voci quoq; jungunt, simplicioris hujus junctura rationem hîc præcognosce. (*)

655. *Ego* & *tu*, *Vellemus* si *possemus* omnia scire. Nec *hic* aut *ille*, *aliter* qvàm *taliter*.

Conjunctio jungit similes casus in Nominibus, similes autem modos & tempora in Verbis.

[Nam quòd Terentius dicit: *Et me hâc suspicione exsolvam, & illis morem gessero*: licet *exsolvam* & *gessero* differant, quòd alterum sit futuri imperfecti, alterum perfecti, utrumq; tamen est temporis futuri, modiq; Indicativi. Excipiuntur tamen Conjuctiones finales; infra Cap. LXIV.]

Obs. I. de Conjunctionibus præponendis aut postponendis.

656. Dic: Ego, & *tu*: Ego *aut tu* &c. Ego, *Tuq;*: *Ille autem. Alij etiam*: vel. *etiam alij.* &c.

Conjunctiones pleraq; Voci qvã alteri annectunt præponuntur, eoq; Præpositivæ *dicuntur*: *Qvædam tamen postponuntur* (Postpositivas *vocant*) *ut* qve, qvoq; ve, autem, verò, qvidem, enim. *Quædam indifferenter, præ-*

ponuntur

ponuntur aut postponuntur: ut Etiam, item, adeò, alioqui, porrò, siqvidem, *& si qvid aliud, qvod usus docebit.*)

Obs. II. De Conjunctionum redundantia & defectu.

657. *Et* ego *&* tu: (pro, ego *&* tu) *Mihiq; tibiq;* (pro, *mihi tibiq;*.)

658. *Plus minus* (i.e plus *vel* minus) *Nolens, volens* (i.e. *seu* volẽs *seu* nolens)

Conjunctionũ redundantia Polysyndeton *dicitur* (*q. d. Multivinculum*)

Conjunctionis defect⁹ Asyndeton *dicitur* (*q.d. vinculi absentia.*)

[Plura de Conjunctionibus in Sententiarum structura.]

Obs. III. De Interjectionũ structura.

659. *Interjectiones plerumq; sine Casu orationi inseruntur: qvando a. Casum habent, eum non à se habent, sed à Verbo aliqvo, qvod (ob exprimendum affectum) reticetur.* Ex. gr.

O Vir fortis atq; amicus! *Ter.* (i. e. ó qvam es vir fortis!)

O praeclarum ovium custodem, lupum! *Cic.* (i. e. ó qvàm praeclarum habemus &c.)

Va mihi (i. e. *Va*, malum imminet *mihi.*)

Proh summe Deus! (vide iniqvitatem hanc!)

Proh Deum immortalem (invoco testem!)

Proh Deûm atq; hominum (fidem, sc. imploro)

Vah inconstantiam (videte!) &c.

Obs.

Obf. IV. De Adjectionū ftructurâ.

660. Omnis *Adjectio*, qvia Voci cui adjicitur novum fenfum addit, facit Phrafin crypticam, in duas Voces fe refolventem. Aliqvid ergò de illa qvoq; hîc dicendi tempus eft.

661. *Aliquis* adeft, *Nam qvis* te juvenū confidentiffime noftras juffit ad ire domos? Virg.

Adjectiones Vocibus fuis poftponuntur omnes, excepto Ali, *& Poëticè* Nam. (Nam qvis, *pro* Qvisnam.)

662. *Hicce* puer, *hujus ce* patris filius, traditur *huicce* Magiftro, *hifce* præceptis formandus &c. *Siccine*? *Hiccine*? &c.

Ce, *adjicitur tantùm Pronomini* Hic, *ubi in* C, *vel* S, *definit. Seqvente n. interrogativo* ne, *mutat* e *in* i.

663. *Ipfemet* puer, *fuâpte* voluntate, huc venit. *Meâpte* id teftor, *Tuapte* audis.

Met, *jungitur omnibus qvatuor Pronominib⁹*, (Ego, Tu, Sui, *& Ipfe*): Pte, Ablativis tantùm tribus.

664. *Qvisquis* es, *& qvidqvid* hîc, aut *ubiubi*, quæris, id *cuicui* ufui eft, perge &c.

Adjectionis fpecies eft, qvū eadem interrogativa particula fibimet ipfi adjicitur, indifferentiæ fenfu.

Appendix Phrafeologiæ, de Infolentia quarundam Phrafium.

665. Vidifti omnes ufitatas Latinarum Vocum combinationes, fecundum XV generales Regulas, tanquā totius Phrafeologiæ fontes: cum fubjunctis circa fingulas particularite obfervan-

obſervandis. Monendus adhuc es de inſolentioribus qvibusdam Phraſibus, quibus ſe diverſarum Regularum ſtructura intermiſcet. Vt ſunt.

666. *Meum ſolius peccatum*, Cic.

[Conjungitur hic ſtructura duplex. *Peccatum ſolius*, ſeu *Peccatum Ciceronis*, per Reg. II. Et *Peccatum meum* per Reg. III. Ita, *Meâ unius operâ* effectum eſt: &. *Noſter duorum eventus* oſtendet &c.]

667. *Patris causâ*, (vel *gratiâ*, vel *ergô*) huc veni. Fac id *meâ* (vel *mei*) *causâ*: *noſtrâ* (vel *noſtri*) *gratiâ* &c.

[Tres Ablativi, *Cauſâ*, *gratiâ*, *ergô*, junguntur à tergo Genitivis, ad exprimendum actionis finem. Quæ phraſis occultè conflatur ex Reg. XIV. apertè ex Reg. II. & III. Dicitur enim *Patris cauſâ* ellipticè: integrè diceretur, *pro patris cauſa*, ſeu *in patris cauſa*. Et *Patris gratiâ*: i. e. *pro* illius gratia ſeu amore. Et *Patris ergô*: i. e. in patris (ἔργῳ) opere, illi operando, ſeu inſerviendo; Qvia verò *cauſa*, *gratia*, ἔργον (*opus*) Nomina ſunt, trahunt ſecum Genitivum (per Reg. II.) Et quia talis Genitivus mutari ſolet in Adnomen (per Obſ. ibidem II. § 500.) rectè in Pronominibus dices, *mei cauſâ*, vel *meâ*; *noſtri* vel *noſtrâ*. Nempe quia Nomen *cauſâ* ſtat hic in Ablativo, etiam Adnomen *noſtrâ*, vi Regulæ III.]

668. *Eſt mihi nomen* { *Antonius*, *Antonij*, *Antonio*. } (ſimilia § 75. 567. &c.)

[Structura hæc variat per qvinqve Regulas. Dicitur n. *Nomen Antonius*, per Reg. I. *nomen Antonij*, per Reg. II. *Eſt mihi nomen*, per Reg. IX. *Nomen eſt Antonius*, per Reg. VIII. *Nomen eſt mihi Antonio*, per Reg. IX. Obſ. II. Vt n. dico: *Voco te Antonium* (per Reg. X. Obſ. III,) ita, Do *tibi* nomen *Antonio*, per Dativum geminum.]

669. *Datur* copia
- *spectandi* *comœdiam* (1)
- *spectandi* *comœdia* (2)
- *spectandi* *comœdiarum* (3)
- *spectandæ comœdia* (4)
- *spectandarum comœdiarum* (5)

[*Copia spectandi*, naturaliter dicitur, per Reg. II. § 501. *Spectandi* (seu spectare) *comœdiam* itidem, per. Reg. X. § 580. *Copia comœdia* (vel *comœdiarum*) per Reg. II. qvod cum primo illo (*Copia spectandi*) figuratè componitur, sicut *Peccatum meum*, & *Peccatum unius*. (Genitivus igitur *Comœdi-æ* (vel-*arum*) non pendet à Gerundio *spectandi*, sed unâ cum illo à nomine *Copia*. Vtriq; autem, singulari & plurali, servit: qvia Gerundia Infinitivi modi sunt, numerumq; non discernunt (supra § 511. Obs. 1.) ideò terminatione eâdem dicimus, *Tempus spectandi comœdi-am*, &-*as*.]

670. Idem Verbum pro diversâ significatione diversam accipit constructionem.

[Vt, *Æmulari*, in qvantum significat *imitari*, qvod est agere, Accusativum qværit: in qvantum à. *nocere Velle*, Dativum. *Consulere*, ut significat *agere*, in Accusativum se reflectit: ut prodesse, Dativum vult. &c.]

XLIX.

Formatura Sententiarum: primùm *Interrogativæ* & *responsivæ*.

671. Hactenus Phrasium structuras lustravimus: jam Sententiarum compositiuras disce, ordine illo qvô propositæ sunt § 81. 82. 83.

Nempe

[Nempe ut videas, qvid reqviratur ad structuram *Sententia interrogativæ* & *responsivæ*; *affirmativæ* & *negativæ*; *simplicis* & *composita*, atq; *contracta*, per omnes sexdecim classes.]

672. Fundamentum Sententiæ est *Nominativus cum Verbo finito*: ubi si unum de uno interrogatur aut respondetur, *Sententia simplex est*; si plura de pluribus apertè, *composita*; si occultè, *contracta*. [Ut *Velimscias*: i. e. *Ego volo, ut tu scias*. Ecce duo Nominativi, duo Verba! duplex ergò Sententia. Nam sive Nominativus, aut Verbum, expressè exstant, sive occultè, Sententia est.]

673. Qvis *adest*? Antonius *adest*. Petrus non adest.

Qvàlibet Sententià aliqvid interrogatur aut respondetur: respondendo autem affirmatur aut negatur.

Obs. I. de Interrogandi varietate.

674. *Qvis* dixit? *Qvando* dixit? *Ubi* est? &c. (Wer? Wenn/ Wann/ wo &c.)

Interogatio de re penitus ignota fit per particulas interrogativas, Qvis, Qvem, Cui, Vbi. Vnde, Quando, Qvomodo *&c.*

675. *Dixitne*? *Illè ne* dixit? *Hócne* dixit? *Hisne verbis* dixit? (Hat er es gesagt? &c.)

Interogatio de re seminota fit per nè *encliticum*.

[NB. 1. Germani voculam, qvæ adjectitio illi *nè* respondeat, non habent: sed interrogationem præmisso Nomini Verbo formant. Nempe indicativè Nominativus præcedit, *Tu es*, Du bist; interrogativè Verbũ, *es ne* Bist du

 ? (2) *Ne*?

(2) *ne* encliticum adijcitur Voci illi, in qva interrogationis vis residet (*Dixitne? illéne? hocne? jam ne?* &c.) qvod Germani non nisi accentu distingvunt, diversas illas voculas, (Er - es - schon - sagt) elevando.]

Obs. II. de Respondendi congruentia.

676. *Qvis* adest? *Nuntius. Qvalis?* *bonus. Qvid dicit? narrat* &c. *Qvando* venit? *modò* &c. &c.	*Ad interrogatum de re ignota respondetur per eandem vocem, in utraq; Lingva.* [*Nempe* si interrogatur Verbo, respondetur verbo; si Nomine, nomine; si Adverbio, Adverbio *&c*]
677. *Adéstne* nuncius? *Adest. Nuntius* adest? *Nuncius. Jamne* adest? *Jam* &c. vel: *Adéstne* nuncius? *Sic. Jamne* adest? *Ita. Nuntiúsne* adest? *Omninò.* Ja; vel, Ja er ist da. Nein: vel, Nein er ist nicht hie.)	*Ad interrogatum de re seminota respondent Latini per eandẽ Vocem; aut* per Ita, Sic, Factum est, Fiet, Omninò, Non, Haud, Neutiqvam &c. *Germani tantùm per* Ja und Nein. *Pleonasmus tamen est, si jungatur utrumq;.*
678. *Qvis* adest? *Petrus. Quem* quærit? *Paulum. Cui* dabis hoc? *tibi. Qvid agis? Scribo.* Quid *agitur? Scribitur. Venissesne? Venissem.*	*Interogativum & redditivũ* Casu conveniunt in Nominibus, Tempore autem & Modo in Verbis. (*Vide* §3. 5. &c.)

679. *Cujus liber? Meus. Cujus culpâ factum?* Meâ &c. | *Ad quæstionem tamen* CUJUS *respondetur aliqvando per* Possessivum. (*Per Regulam* § 500.)

680. *Qvanti* emtus liber? *duobus aureis.* | *Ad Qvæstionem* QVANTI *respondetur per Ablativum pretij* (*Per Reg.* § 600.)

681. Qvid tibi opus est, ut sis bonus? *Velle.* Sen. | *Aliqvando non ad Vocem respondetur, sed ad sensum.*

Obs. III. de Interrogatione composita.

682. Qværo, (aut *quærunt*, *quæstio est*) *an feceris? num feceris utrū feceris feceris ne?* (Man fragt / Ob du es gethan hast?) | *Qvum aliqvid interrogari dicitur, ponitur id de qvo interrogatur subjunctivè, cum particulis interrogativis* an, num, utrum, ne; *Germ.* Ob.

Nescio qvid agam; Scio qvid ago. Plaut. | *Exc. Responsio qvandoq; Indicativum etiam admittit.*

683. *Qværo, utrum velis an non?* (seu, *velis ne an non?*) Ich frage / Ob du wollest oder nicht? | *Cùm duo qvædam opposita interrogari dicuntur, priori præmittitur* Utrū, *vel* ne; *posteriori* an.

684. *Qværo, hoc ne velis, an istud, vel illud.* Ich frage / Ob du dis / oder | *Si interrogationis membra tria vel plura fuerint, pones primo loco* Utrum (vel

oder das oder jenes / begehrest. | (vel-ne); secundo an, de hine vel-vel &c.

Obs. IV. de Interrogatione contracta.

685. *Fuit?* (pro *fuit ne?*) *Audin?* (pro, *audis ne?*) *Quære, sit nec ne?* (pro, *utrum sit, nec ne.*) Ter. *Melius, pejus, prosit, obsit, nihil vident.* (*pro,* Utrum *melius an pejus* &c.) | *Contracta interrogatio est* (1) *Ubi* ne *dissimulatur, quod sæpe fit.* (*ut* § 602. &c.) (2) *Ubi* ne *cum Verbo coalescit* (*ut* § 977.) (3) *Ubi* num, *vel* utrum, *vel* an, *dissimulatur.*

L.

Structura Sententiæ affirmatæ & negatæ.

686. *Scio*, Ich weiß es. *Nescio.* (*Non scio, haud scio*) Ich weiß es nicht. *Nescire*, Nicht wissen. | *Verbum solum affirmat, cum præjuncta particula negativa.* (Non, Ne, Haud, Vix, Neutiq;, Nullus &c.) *negat.*

[Germanis particula negativa Verbo postponitur, excepto Infinitivo: itemq; Subjunctivo, *Si nescirem*, wenn ich nicht wüßte.]

687. *Ne fac.* *Ne facias,* *Ne feceris.* | Ne *prohibitivum convenit Imperativo, aut præsentis vel futuri Subjunctivo.*

Obs. I. de dupliciNegatione affirmante.

688. Non

688. *Non nescio* (i. e. scio: ne newjm.) *Non sum nescius*: ich bin nicht vnwissend. | *Duplex negatio magis affirmat*: (*nempe vel duplex adverbium negativum; vel simplex cum alia negativa particula, ut hic est Adnomen*, nescius.)

689. *Nemo adfuit. Non-nemo adfuit*: (i. e. aliqvis adfuit.) *Nemo-non adfuit*: (h. e. omnes adfuerũt.) | *NB.* 1. Non, *alteri negativa particula præpositum, affirmat particulariter, postpositum, affirmat universaliter.*

690. *Nullus fuit* (keiner) *non ullus* fuit (nicht einer) *Nunqvã vidi* Niemahls: & *non-unqvam vidi.* | *NB* 2. *Si particula negativa resolvi potest, in negativam & affirmativam, usurpatur eodem sensu.* Nusquam, non usquã: Nullibi, non ullibi. Nemo, non homo, seu non qvisqvam &c.

Obs. II. de duplici Negatione magis negante (sive, de Negationis pleonasmo.)

691. *Nemo nihil facit*, (Celsus: i e. nemo qvidqvam.) *Neq; ego haud committã*, Plaut. i. e. non committam) Jura te *non nociturum esse nemini* (i. e. planè nemini.) | *Reperiuntur tamen apud authores loca, ubi negatio duplex vehementiùs negat.*

[Similiter fit apud *Graecos, Italos, Slavos.* Sed Pleonasmus est: alteriꝰ scil. negativæ redundantia.]

LI.

Structura Sententiæ ſimplicis.

692. Unus Nominativus uni Verbo finito copulatus, facit Sententiam unam & ſimplicem, quantocunq; numero aliæ Voces acceſſerint.

[Poſſunt n. vel triginta confluere, manente nihilominus Sententiâ ſimplici: ut mox videbis § 693.]

Obſ. I. de Sententiæ centro.

693. *Centrum totius Sententiæ eſt Verbum finitum, ad quod omnia referuntur.* Exemplo ſit.

diligenter
poſt alios \ | /memoriæ causâ.
Livius — *deſcripſit* — hiſtorias.
multis libris/ | \ poſteritati,
ſtilo eleganti

[Nempe qvod ſermone enarramus, propriè ſunt rerum exſiſtentiæ, actionésq; & paſſiones, cum circumſtantijs ſuis.]

Obſ. II. de Verbis acceſſorijs.

694. Jam ſi Voces ſingulas ſuis appoſitis inſtruere voles (ductu ſuperiorum Regularũ) prodibit duplô verbis auctior (vel ampliùs) Sententia, manebitq; nihilominus ſimplex. Ut:

Livius Patavinus hiſtoricus (vel, *hiſtoricorum coryphæus*) *multis librorum decadibus, exquiſitâ diligentiâ, ſtiloq; perquam nitido ſcriptis, victorioſi populi Romani res varias, domi forisq; glorioſè, ſuo*

ſè, ſuo

se, suo ævo & ante illa tempora gestas, posteritatis memoriæ commendavit.

Obs. III. de pluribus Nominativis.

695. Possunt tamen plures esse Nominativi, in simplici etiam Sententia: *primo* per appositionem (ut hîc, *Livius coryphæus*): *secundò*, qvando Nominativus Verbum præcedit & seqvitur (ut hîc, *Livius* est *Historicus*)

LII.

Structura Sententiæ compositæ: & primùm qvidem *Copulatæ.*

696. *Cæsar & Pompejus* pugnant: Cæsar *pugnat, & vincit, triumphatq;.*

Cùm de duobus unum qvid dicendum est; aut de uno, duo vel plura; interpone Conjunctionem, copulantē in Nominibus similes Casus, in Verbis a. similes modos & tempora. Vt Regulæ, § 655.

Obs. I. de varianda Copula.

697. *Est vir cùm fortis tùm sapiens: tàm fortis qvàm sapiens: non solùm fortis, sed & sapiens &c.*

Non tantùm Conjunctiones copulativæ adhiberi hic solent, sed & Adverbia relativa, *-Cùm -tùm: Tàm-qvàm: Non solùm-sed &: &c.*

Obs. II. de Variando Casu.

 698. Sit

698. Sit Bos *amplissimi corporis, cervicéq; validâ*: Columella.	*Similis Phrasis habetur præsimili Casu.* (*Unde hic, in exemplo, copula* qve *jungit binum Ablativum bina Genitivo: quia æqvipollent, per Reg.* §. 517)

Obs. III. de Redundantia Copulæ.

699. *Terrasq; tractusq; maris, cœlumq; profundum*: Virg. Ego *qvoq; etiam* credidi: Ter. Authoritate tuâ, *& etiam* gratiâ, nobis opus est: Cic.	*Polysyndeton apud Authores subinde occurrit.*

Obs. IV. de Defectu copulæ.

700. *Abijt, excessit, erupit, evasit*: Cic. Vide Jan. § 42. 708. &c.)	*Nec infreqvens est asyndeton.*

Obs. V. de Sententiæ copulatæ Crasi.

701. *Jura dabant populo Remo cum fratre Qvirinus*: (i. e. Remus & Qvirinus) (2) *Est puer ingeniosè diligens*: (i. e. ingeniosus & diligens) (3) *Ille vigilans somniat.* (Er wachet/ vnd träumet doch) &c.	*Contrahitur Sententia copulata tribus modis.* (1.) In copula Nominum, *commutando ET in CUM.* (2) in copula Adnominum, *permutando alterũ Adnomen Adverbio.* (3) *In Verbis autẽ commutando alterum Participio.*

[Ita § 12. Januæ: *unà cum Latina L. res*; i. e. & lingva & res. § 137. *noctua cum reliqvis &c.* pro, Noctua & reliqvæ &c.]

LIII.

Structura Sent. Disjunctivæ.

702. *Aut redi, aut causam emanendi* perscribe. *Sive hoc fuerit sive illud, acquiescã. &c.*	*Qvum inter duo, vel plura, unum offers eligẽdum, interpone AUT, VEL, SIVE, SEU.*

[Qvod si semel ponitur, Vernaculè reddes Oder: si bis, ter, qvater &c. Primo Entweder/ dehinc oder. Vide Ian. § 32. 84. 87. 95. 112. &c.]

Disjunctivæ Crasis.

703. *Velis nolis fiet.* (du wollest/ oder wollest nicht / so wirds doch geschehen.)	*Ecce tribus Verbis inclusæ tres sententiæ!* (1) *Sive Tu velis* (2) *sive Tu nolis* (3) *illud fiet.*

LIV.

Sententia Concessiva.

704. *Qvanqvam te redire malim, mane tamen &c. &c.*	*Qvũ aliqvid concedis, ut aliqvid affirmes aut neges, utere* Etsi - at.

Qvanqvam - tamen. Licet - nihilominus. Cùm - attamen. Quod si - at certè. - quidem - at - utut - certò tamen *&c.*

Obs.

Obſ. I. de reqviſito Verbi modo.

705. *Etiamſi nolunt*, redi tamen. Vel: Redi *etiam ſi nolint*, (2) *Qvamvis illi nolint*, redi. (3) Utut ibi res ſunt, redi tamẽ.	Etſi, Etiamſi, Qvanqvam, *ab initio Sententiæ poſita*, *freqventiùs* Indicativum *habent*: *in medio vel fine* Conjunctivum. (*ut* § 881 *&c.*) (2) Qvamvis, *&* Licet, *freqventiùs Conjunctivum* (§ 69. 135. *&c.*) (3) Ut, *&* utut, *tantùm Indicativũ admittunt.*

Obſ. II. Conceſſivæ pleonaſmus.

706. *Etſi qvamvis* non fueris ſvaſor &c. Cicero. Sic Apulejus & Ulpianus junxerunt, *Qvanquam etſi.*	*Aliqvando Autores duas particulas conceſſivas citra neceſſitatem copulant.*

Obſ.. III. Conceſſivæ Ellipſis.

707. Aliqvando rurſum altera conceſſivarum particula omittitur. Ut in illo Ciceronis: *Qvi nondum liberâ Civitate, tamen populi comitijs liberatᵘˢ eſt* (pro *qvi qvamvis nondũ* &c.) Idem dixit: Licet omnes undiq; terrores periculaq; impendeant, ſuccurram: (pro, tamen ſuccurram.)

LV
Sententia Rejectiva.

708. Non

708. *Non* habeo, *nec* vidi.
Nec vidi *nec* audivi. (num.
Non habet obulũ, *nedũ* flore-
Non præterundum est *ne quidem* illud: Cic.
Nihil allatum est, *ne* rumoris quidem Cic.

(*Qvũ duo qvædam, aut plura, pariter negas, utendũ est* Non-neq; - (Nicht-auch nicht.) Neq; - neq; - (Weder-noch- *ut* § 81. 158. *&c.*) *qvum autem comparativè, alterum magis negando dices*, Non-nedum-Non neqvidem - Nihil-neqvidem (Nicht-viel weniger (oder geschweige daß-) Auch nicht-)

Obs. Rejectivæ Crasis.

709. Pro, *Nec ego, nec tu*, dic *Neuter nostrûm* Pro, *Nec ego, nec tu, nec ille*, dic, *Nemo nostrûm*, (2) Pro, Puer *nec ingeniosus, nec diligens*; dic *stupidè negligens*.

Plura singularia negari possunt. (1) *uno generali negato.* (2) *altero Adnomine mutato in contrarium, altero in Adverbium.*

LVI.

Sententia Adversativa.

710. *Alter loqvitur, alter autem dormitat.*
(Vide § 65. 67. 69. 78.)

Qvoties apponere voles aliqvid dictis contrarium, aut saltem diversum, poteris, mediante particulâ Sed, Autem,

78.(bis)126. 128.&c.)

Non postulo qvidem id, aveo tamen audire: Cic.(Vide § 65. 67. 69 217. &c.)

Autem, verò, Verũ, verumtamen, Ex adverso &c *sæpeq; priori membro additur* qvidem.

Ellipsis Adversativæ.

711. *Tantùm cibi & potionis adhibendum est, ut reficiantur vires, non opprimantur* Cic. (pro, *non autem ut opprimantur.*)

Conjunctio adversativa nõ rarò reticetur.(*Vide* § 218. 220. 224. &c.)

LVII.

Comparativa Sententia: *qvam* & *Electivam* (ineptè *Discretivam*) vocant.

712. *Amicior* mihi *nullus* vivit, *atq; is* est: Plaut. *Emori* per virtutem *præstat, qvàm* per dedecus *vivere*: Sallust.

Dum qvid alteri præfers, appone Adnomini comparato, aut Verbo, Quàm, *vel* Ac, Atque. (*Ut* § 4.66. 368. &c.)

Crasis comparativæ.

713. Pro illo Sallustij: *Emori per virtutē præstat, quam* &c. dicere licebit: *Mors*

Verbũ Nomini commutatum, facit ex sententia comparativa com-

Mors honesta præstat indecora vita. | *va composita simplicem.*

(Imitare, si placet, § 675. *Regressio bona melior progressione malá.*)

LVIII.

Conditionalis Sententia.

714. *Si à nobis deficis, molestè fero:* Cic. *Non loqvar, nisi pace factâ:* Plaut.

Si qvid conditionaliter promittis, interpone SI; *si negas,* Nisi. (*Vide* § 2: 59. 368. *&c.*)

Ellipsis Conditionis.

715. *Negat qvis? nego. ait? ajo.* Ter. pro, *si negat, si ait.*)

Unum cognôris, omnes nôris (pro, *Si cognôris,*)

Si, *dissimulari potest, si sententia interrogativè ponitur:* (*ut* §602 *&c.*) *Poëta tamen etiam extra interrogationem.*

LIX.

Restrictiva Sententia.

716. *Ad reliqva pergamus: nempe qvæ seqvuntur:* Cic.

Restitit, qvoad potuit: Cic. *Litus est qvousq; fluctus à mari pervenit:* Cels. &c.

Si qvid obscuriùs dixisse videris, restringe & limita, de qvo intellectũ velis: idq; mediante particulâ Nempe, Scilicet, Videlicet, Id est, Puta, Qvatenus, Qvoad &c.

(*Vide*

(*Vide* § 60. 61. 62. & 581. (*ter*) 80. 171. 879. &c.)

717. Etiam huc spectant *Sententiæ diductivæ*, ubi qvod generaliter dictum est, per species enumeratur: ut § 89, 90, 91, 92, 93, 95. &c.

Ellipsis.

718. *Opitulari tenemur, qvatenus suppedit facultas*; Svet. (Integrè esset, *tenemur eâtenus.*)

LX.

Exceptiva Sententia.

719. *Nihil laboro, nisi ut salvus sis*: Cic: *Nec aderat qvisqvã, extra unam aniculã.* Ter. (Vide § 110. 133. 198. &c.)

Si qvid generaliter dictũ videatur, excipe qvod exceptum cupis, particulâ Præter, Præterqvã, Nisi, Extra, Modo ut, Modo ne, Dũ ne, Excepto &c.

Ellipsis.

720. *Nihil aliud qvàm vectabatur*, Svet. (Nihil aliud, scil. *agebat.*)

LXI.

Notificativa Sententia.

721. *Iam scio qvòd filius amet meus*, Ter. *Qvòd ad me scribis, gratum*

Si qvid sciri, aut narrari, narras, utere Quòd (Daß) *cum Indica-*

tum mihi est: Cic: (Vide § 13. 882. 920. 928. 951. (bis) &c.)	*Indicativo vel (potius) Subjunctivo.*

Crasis Notificativæ triplex.

722. *Jam scio filium amare meum. Gratum est, te scribere* &c. (Vide § 35. 157. 128. 267. 268. 291. (qvater) 950. &c.)	(1) *Latini contractè loqui amãt, sublato* Qvòd, *mutatóq; Verbo finito in Infinitum, & Nominativo in Accusativum.*

[NB. Germanis id imitari datũ non est, semper sententiam duplicem retinent, mediante Daß. Sed neq; Latinis ubiq; crasis procedit: ut in hoc Ciceronis, *Cùm scripsisset, qvòd cuperet me ad Vrbem venire.* Qvia n. tres concurrunt sententiolæ: (1) *Cùm ille scripsisset* (2) *qvòd ipse cuperet* (3) *ut ego venirem*: atq; postremæ hujus cum media crasin facere libuit (*quòd cuperet me venire*) ingratum fuisset, primâ quoq; huc coactâ, dicere; *Cùm scripsisset se cupere me Venire ad Vrbem.* Ecce n. cacophoniam! Reliqvit igitur *qvòd*: ut sententia maneret ex duabus conflata.]

723. *Scis te moriturũ?* (sc. esse). Weistu daß du sterben solt? Vide § 286. (bis) 952. &c.)	(2) *In Infinitivo futuro* (-urum esse) *aut præterito passivo* (-um esse) *sæpe Verbum* esse *dissimulatur.*

[Póëtæ præterea hic (Græcorum imitatione) Accusativum mutant in Nominativum. Vt Virgil. *Sensit medios delapsus in hostes* (i. sensit se delapsum) Et Horat. *Patiar inconsultus haberi* i. e. me inconsultum.]

724. *Memini legisse* (pro, *me legisse*: Es gedencket	(3) *Si Verbũ utrumque fuerit ejusdẽ per-*

cket mir/ daß ichs gelesen habe; *Negat velle* (pro, se velle.) | *sonæ, Infinitivus ponitur sine Accusativo: h. e. dissimulato Pronomine.*

[Speciale est, quòd *Memini* admittit Infinitivum præsentem & præteritum eôdem sensu: *Memini me legisse & legere.* Vtrumq; n. Ciceronis est.]

LXII.

Relativa Sententia.

725. Tales *simus*, qvales *videri volumus*. Cic. Tot & tantas *res*, qvot & qvantas *reqvirit necessitas &c.* Idem. | *Qvum duo qvædam dicere vis, qvæ se ad invicem referunt, adhibendæ sunt particulæ relativæ.*

[Sunt a. particulæ relativæ
(1) Personarum: *Is-qvi: Nemo-qvi. Idem-qvi* &c.
(2) Rerum: *Id-qvod* (ut § 31. & 18.) *Idem-qvod* &c.
(3) Temporis: *Tum-cum* (§ 39): *Nunc-tunc. Interea-dum: Tamdiu-qvoad: &c.*
(4) Loci: *Ibi-ubi: Sicubi-ibi* (§ 47.) *Eâ-qvâ: Eô-qvô: Inde-unde.* &c.
(5) Numeri: *Tot-qvot: Toties-qvoties:*
(6) Magnitudinis: *Tantus-qvantus* &c.
(7) Qvalitatis: *Talis-qvalis: Sicut-ita* (§ 50) *Talis-ut* &c.
NB. Dicuntur etiam *Præpositivæ* & *Postpositivæ* particulæ: quarum natura est, ut unâ prolatâ alteram exspectet auditor.]

Regula de Relativis genus habentibus.

726. *Literas* acce-pi | *Pronomē* (*vel Adnomen relativun*

pi tuas, *qvæ* mihi *fuerunt* voluptati, Cic. Ex ea re *tantâ molestiâ* affectus sum, *qvantam* summus erga te *amor afferre debuit.* Idem.

relativũ respondet antecedenti Nomini numero & genere; Casu verò sequenti Verbo. (*Vide* § 29. 35. 37. 44. &c.)

727. *Qvò* tu *cogitas* { *eôdem collimo* ego. / *ibi* jã ego *sum.* / *inde* jã *redij.* }

Similiter in Adverbijs loci, relativum posterius respondet Verbo suo.

Obs. I. de Discrepantia numeri.

728. Si *tempus* ullum est, *qvæ* multa sunt (sc. tempora) Cic. Fumat uterq; *Polus, qvos* si violaverit ignis. Ovid. (*qvos*, scil. *Polos.*)

Pronominis relativi numerus aliqvando se accommodat Nomini seqventi, non expresso, sed intellecto.

Obs. II. de Discrepantia generis.

729. *Animal* plenum rationis, *qvem* vocamus *Hominem*: Cic. (Rectè etiã dixisset, *qvod*, scil. *animal.*)

Qvum aliqvid esse aliqvid dicitur, relativum respondet Nomini antecedenti vel seqventi.

[Similem Syntaxin vide 538. 572. & 573. Poteris n. eadem relativè sic efferre: *Flumen* maximum, *qvod* (vel *qvem*) vocamus *Indum*. Cavendus est talis *error*, *qvem* qvis dicere qveat stultitiam (vel: *qvam.*]

Obſ. III. de DiſcrepantiaCaſûs.

730. *Urbem, qvam ſtatuo, veſtra eſt*: Virg. (pro, *Urbs* veſtra eſt, qvam ſtatuo,) *Eunuchum, qvem dediſti nobis, qvas turbas dedit?* Ter. (pro, Eunuchus.)

Poëtæ interdum Nomen antecedens accommodant ipſi Relativo Pronomini.

Obſ. IV. de Pronomine relativo, aliud qvàm Nomen reſpiciente.

731. *Uxorē nunqvam habui, qvod* fortunatum iſti putant. Ter. *Qvi habet ſalē, qvod* (i. e. qvemadmodum) in te eſt. Id.

Dum Pronomen relativum reſpicit Sententiam, ponitur in genere neutro.

Obſ. V. de Pronomine in Adverbium tranſeunte.

732. *Locum iſtum, ubi* tu natus es plus amabo poſthac: Cic. (i. e. *in qvo*). Idem: *En cauſam, cur* (i. e. ob qvam) dominus ſervū accuſet!

Relativum pronomē aliqvando mutatur in Adverbiū (loci, temporis, cauſæ, &c.)

Obſ. VI. de Pleonaſmo correlati.

733. *Leodamantē Cleophili* diſcipulum: *qvi Cleophilus* &c. (Apul.)
(2) *Dies* inſtat, *qvô die frumentum*

Si Nomina præceſſerunt duo (vel plura), iterari ſolet alterū, erroris evitandi

mentum militibus metiri oportet: *Cæsar.*	*evitandi causa.*
Idem: Erant omninò *itinera duo, qvibus itineribus* domo exire possent &c.	(2) *Interdū tamen Authores nullâ necessitate Nomen præmissū iterant.*

Obs. VII. de Ellipsi correlati.

734. *Canto* † *qva* solitus: Virg. (pro, *ea qva*) *Est* † *qvi te conventū velit:* pro, est *qvispiam qvi*) (2) *Urbs antiqva fuit-Tyrij tenuêre* coloni: Virg. (pro. *qvam Tyrij* &c.	*Reticetur aliqvando particula relativa: sæpius antecedens;* (2) *rariùs subseqvens:* (3) *rarissimè utraq;.*

(3) *Horrea formicæ tendunt ad inania nunqvam: Nullus ad amissas ibit amicus opes:* Ovid. (id est, *Ut* formicæ ñ tendunt ad inania horrea, *ita* amici ad amissas opes. Vide § 40. ubi correlativum *tùm* dissimulatur qvinqvies. § 47. *ibi*, qvinqvies. &c. &c.)

Obs. VIII. Relativæ Crasis.

735. *Victurus, geniū debet habere, Liber:* Mart. (pro, Qui Liber vivere debet, ingeniū habere debet: Welches Buch leben soll &c. *Moriturus cantat:* Da er itzt sterben soll / singet er.	*Contrahitur sententia relativa in simplicē, sublato Pronomine, Verboq; mutato in Participium.*	Tales Vide § 16. 17. 21. 33. 41: & alibi passim, etiam 978. 983. &c.

[Ita hoc,

Hostis peri͡jt { *q̃i insidiabatur* tibi. / *Cujus* formidabas *furorem*. / *q̃em formidabas* &c.

contractè sic:

Formida { *tus* tibi hostis peri͡jt. / *ti* tibi hostis nullæ jam sunt vires. / *tum* tibi hostem mors sustulit &c.]

LXIII.

Sententia Continuativa, seu *Ordinativa*.

736. *Primùm* est de honesto, tũ pari ratione de utili, *pòst* de comparatione rerũ, dissserendũ. Cic.	*Qvum dictis, aut dicendis, annectis ordine alia, utere particulis ordinativis*; Primò, secundò, tertiò &c. Deinde, Postea, Tum, Præterea, deniq;.	§ 7. 31. 85. 119. 197. 967. &c.

Obs. I. de Pleonasmo Continuativæ.

737. Qvid *tum postea?* Ter. *Tum deinde*, Gellius. *Deinde postea*: Cicero. *Tandem denique* Appul.	*Citra necessitatem aliqvando dua continuativæ particulæ simul repeyiuntur apud Authores.* (Sed in Janua id cavetur.)

Obs. II. de Crasi continuativæ.

738. *Hæc loqvutus, conticuit:* (i. *primò* loqvutus, *deinde* tacuit) *His dictis, conticuit* (i.e. *postquã* ea dixisset, *deinceps* siluit.) (Als er es außgeredet / schweig er.)

Actio actionem consequens, contractè enuntiatur Verbo priori verso in Participium.

[NB. (1) Græci & Slavi, qvia *Participiis* etiam *activo-præteritis* non destituuntur, ubiq; id possunt: Latini non ubiq;, Germani nusqvam. Qvod n. Matthæi IX. 9. uno commate dicitur; καὶ ἀναστὰς ἠκολούθησεν αὐτῷ, Polonicè totidem verbis: Awstawszy szedł zanim (Boh. A wstaw ssel za-njm;) Latinè non nisi divisim, *Et cùm surrexisset* (carent n. Latini Participijs activo-præteritis) *seqvutus est eum*: Germani demũ copulativè, Vnd er stund auf / vnd folgete jhm.

Possunt autem Latini contractè loqvi,

(1) *in Verbis deponentibus*, omisso, *est*: *Hæc loqvutus*, conticuit, Als er das gesaget / schweig er.

(2) *in Transitivo-activis*, mutato Verbo in Participij passivi Ablativum: ut, *His dictis*, conticuit, Als das gesagt war / schweig er. (Vide § 4. 30. 567. 568. 570. (bis) &c.)

(3) *in Verbis omnibus*, si actio futura indigitanda est: ut, *Victurus*, wenn einer leben soll: *Moriturus*, wenn einer sterben soll. (Vide supra § 735. Et in Ian. § 435. 436. &c.]

LXIV.

Finalis Sententia.

739. Hoc ideò scribo, *ut intelligas*: & *ut ne prætendas* ignorantiam: *neve dicas*, non fuisse te præmonitum &c.

Qvum ejus, qvod fieri dicis, exprimere vis finem, utere particulis Ut, Qvò, Qvî, Eôut, Utne, Ne, Neve (*seu* Neu) *cum Subjunctivo.*

(Vide § 7. 14. 19. 32. 33. 426. &c.)

Craſis.

740. *Fac ſciam* (pro, *Fac tu, ut ego ſciam*) *Cave facias* (pro, *Cave ne facias*)
(2) *Facias* (i. e. *Volo ut facias*, ſeu Opus eſt ut facias.) *Faciat*: (i. e. dic ei ut faciat.) *Faciamus* (h. e. libeat qvæſo ut faciamus: Laſt vns thun)

Sententia finalis qvadrifariã contrahitur:
(1) *Diſſimulatâ conjunctione finali.*
(2) *Aut diſſimulatâ conjunctione unâ cũ Verbo.*

(3) *Venerunt.* {*ut ſpectarent*: / *ſpectatum*: / *ſpectaturi.*}
Coctum ego non Vapulatum conductus ſũ: Plaut. (i. e. ut coquã, non ut vapulem.)
(4) *Opto te venire* (i. ut venias) *Oportet te eſſe neqvam.*

(3) *Mutato Verbo conjunctionem ſeqvente in ſupinũ, aut in Participium futurum.*
(4) *Aut Verbo finito mutato in Infinitivũ, & Nominativo in Accuſativum.*

LXV.

Cauſalis ſententia.

741. *Ingenioſus diſcit facilè, qvia rem perſpicit facilè.*

Qvum dictorum (*aut dicendorũ*) *reddenda eſt ratio, annecte hanc per voculam* Qvia, Qvoniã, Qvòd, Eôqvòd, Qvippe, Quando, (Vide § 38. 104. 122. 163. 195. &c.)

Obſ.

Obs. I. de Ellipsi.

742. *Non sum adeò informis, nuper me in littore vidi* : Virgil. (pro, Nuper enim,) | *Conjunctio caussalis quandóq; reticetur.*

Obs. II. de Crasi.

743. Pro, *Ingeniosus, quia facilè rem perspicit* : dic, *facilè rem perspiciēdo* (aut *facili rerū perspectu* vel, *perspectione*) facilè discit. | *Caussalis contrahitur, si caussam reddens Verbū mutetur in Gerundium, Vel Supinum, vel Nomen Verbale.*

LXVI.

Conclusiva Sententia, (seu *Illativa.*)

744. *Polles ingenio? disce igitur.* | *Quum ex praecedenti sequens infertur, dic* Ergò, Igitur, Idcirco, Itaq;. (*Vide* § 68. 163. 274, 595. 707. &c.)

Obs. I. Pleonasmus Conclusivae.

745. Quô pacto *ergò igitur* ? Plaut. *Itaq; ergò* amantur : (Terent, & Livius) | *Reperiuntur duae illativae Conjunctiones simul usurpatae.* (*Quod tamen non imitandum.*)

Obs. II. Ellipsis.

746. *Hâc non successit,* | *Reperiuntur rursùm sententiae*

sit, *aliâ aggrediemur viâ*. Ter.(i.e. *ergo aliâ*.) | *sententiæ sine Conjunctione illativa*, atq; id crebrò. (*Vide* § 994. 997. &c.)

Observatio generalis de Sententiarum compositarum Anastrophe.

747. Omnis composita Sententia veluti bimembris est: sive membrum principale alteri præponatur, ut, *Dies iste* (i. dies mortis) *natalis est æterni*, *qvem* (tu) *tanqvam extremum formidas*:) sive postponatur (ut *Qvem tanqvam extremum formidas diem*, *ille æterni natalis est*:) sive interponatur (ut, *Dies iste*, *qvem tanqvam extremum formidas*, *æterni natalis est*.) Atq; hoc postremo modo extulit Seneca: sicut & nos aliqvoties, § 16. 17. 18. 32. 38. (membro primo) 104. 108. 182. &c. Hoc observato, intelligere Sententiarum complicationes varias in Authoribus poteris.

LXVII.

PERIODORVM syntaxis.

748. Periodus *qvid & qvotuplex* sit, repete ex Etymologia (§ 85. &c.): jam ad formandum Periodos scire oportet, *ex qvibus partibus* construantur: atq; tùm attendi *partium* (1) *Numerũ* (2) *Qvantitatem* (3) *Qvalitatem*.(*)

749. *Partes Periodi sunt*, *Cola*, seu *Membra*;

Coli

Coli autem partes, sunt *Commata*, seu *Incisa*.

[*Periodus* est instar manûs; *Cola* sunt instar digitorum; *Commata* instar articulorum. Reperta tamen sunt etiam *Semicola*, de qvibus infra. *Comma*, est sententia imperfecta: *Colon*, perfecta qvidem in se, relata tamen ad aliam; eóq; sensum perficiens non sibi, sed Periodo. Qvod patebit, si exempla inspexeris qvàm plurima.]

750. *Numerus partium* est, ut Periodus sit *Unimembris*, *Bimembris*, *Trimembris*, vel *Qvadrimembris*.

[*Unimembris* Periodus, est cæteris facilior; *Bimembris*, elegantior; *Trimembris*, plenior; *Qvadrimembris*, omniū perfectissima. ut videre potes supra, § 91.]

751. *Qvantitas partium* est, ut *Colon* non excedat syllabas viginti, ad summum triginta; *Comma* non decem, aut qvindecim.

[In Januali tamen Textu, qvia res & verba densè stipari necesse fuit, reperiuntur Commata etiam plusqvam 20 syllabarum: ut est primum comma in § 24, 59, 63, 778, &c.]

752. *Qvalitas partium* est, ut ad sensum reddendum perspicuum Membrum membro, & Comma commati rectè respondeat. Nempe respiciendo se invicem copulativè, aut disjunctivè, &c. (Vide suprà § 68. & 69): sive expressè sive ellipticè.

753. Sed rarò fit, ut partes Periodi sint homogeneæ (ex. gr. *Copulativæ, Disjunctivæ, Conditionales* &c.) plerumq; concurrunt diversorum generum (puta *copulativa cum disjunctivis, aut concessivis* &c. &c.)

[Exemplis id disce, *Rem breviter narrare poterimus, si inde incipiemus, unde necesse est* (scribit Cicero ad Herenn.) Hæc Periodus unimembris est, sed composita ex commate trino.

mate trino, tribusq; sententiis: qvarum prima cohæret secundæ, vinculo conditionis, *SI*; tertia secundæ, vinculo relativo, *Inde - unde*. Idem alibi: *Non eô id vereor, ne mihi noceat: sed qvia ingrati animi crimen horreo.* Bimembris est Periodus, membrumq; primum duorum commatum, totidemq; sententiarum (1. *Non ego vereor id*: 2, *ut me ille noceat mihi.*) Prior ecce sententia copulat sibi secundã *finali* conjunctione, *utne*; tertia utriq; illi annectitur conjunctione *adversativâ*, *sed*. Si è nostris exempla vis, Periodus 2. Ianuæ bimembris est: cujus membrũ primum constat sententiâ interrogativâ compositâ; alterum responsivâ, copulatâ. Seqvens Periodus iterum constat interrogatione, sed simplici: responsioneq; duplici, alterâ simplici ellipticâ, alterâ compositâ relativâ, itidem ellipticâ; (*Omnis ille*) *posuit Eruditionis fundamentum*, *qvi* &c.
Trimembris Periodi exemplum sit § 838. Vbi membrum primum sententia composita est, finalis, (Sed Nota anastrophem!, Naturaliter n. diceretur, *Cessatur qvandóq; à seriis, ut ne labascant vires.*) At verò qvælibet harum intra se rursum composita est: qvia priori additur copulativa, *temporisq; aliqvid datur ludicris*: posteriori disjunctiva, *aut elangvescant*. Secundum membrum annectitur primo restrictivè, qvomodo ludicra labascere vires non permittant: nempe-aut-aut-aut (Vide disjunctionem trinam in textu.) Tertium membrum secundo iterum annectitur relativè, clauditurq; annexâ interrogatione. Periodi qvadrimembris exemplum habes § 882: in qva protasis continetur membro primo, apodosis reliqvis tribus: qvodlibet a. membrum habet sua commata, conjunctionibus ab invicem disterminata. Si præcedentia (de Sententiarum Structura) rectè didicisti, facilè sic omnium Periodorum analysin instituere, structuramq; deprehendere, poteris.]

754. Notabis si Oratio ultra qvatuor membra excurrat, sententiæq; velut in congeriem ponantur, non *Periodum* dici, sed *Periodicum*. (Ut sunt in Janua § 55. 101. 102. 199. 639. 648. 653. 663. 685. 687. 729. 732. & similes.)

755. *Contractam deniq; Periodum nosse disce, ubi membra, aut commata, alia ab alijs absorbentur.* Qvalis est illa Ovidiano versiculo comprehensa,

Qvem taurum metuis, vitulū mulcere solebas.

[Est n. periodus unimembris, duorum commatum, sed ex qvatuor sententijs contracta. Integrè n. esset: (1) *Qvem* (tu) *metuis* (2) *Postqvam Taurus factus est*: (3) *eum solebas mulcere* (4) *qvando erat Vitulus*: qvomodo & vernaculè (qvibus illa crasis insveta est) reddere necesse habemus: Den Ochsen/ den du itzt fürchtest/ hastu pflegen Zustreicheln/ da er noch ein Kalb war.]

756. Periodo itidem accidunt, *Pleonasmus Ellipsis, Anastophe & Enallage.* (Vide § 481.)

757. *Pleonasmus Periodi* est, cùm aliqvid præter ejus essentiam accedit: sive *à principio* (ut § 15. 30. 602, 607, 624. 625. &c.) sive *in medio* (ut 19. 41. 84. 85. 632. 633. 654. &c.) sive *in fine* (ut 623. 624. 625. 630. 632 &c.) Illîc dicitur *Exclamatio*, aut *Interogatio*, aut saltem *Transitio*; Istîc *Parenthesis*; hîc *Epiphonema.*

758. *Ellipsis Periodi* est, cùm aliqvid essentiale omittitur, supplendum omninò, ut sensus constet. Ut in illo Ovidij

Horrea formicæ tendunt ad inania nunqvam;
Nullus ad amissas ibit amicus opes.

[i. e. *Sicut* formicæ non tendunt ad inania horrea, *sic* amicus &c.]

759. *Anastrophe Periodi* est, si protasis postponatur, apodosis præcedat. Ut Cic: *Qvasi*

coram

coram adsis, ita cerno sympatheiam tuam (pro, *ita* cerno. *qvasi* &c.

[In Januæ textu transpositiones vitavimus: sed in Authoribus crebræ sunt, qvarum ad naturalem situm reductio Periodicũ recludit artificium. Vt in illo Ciceronis; *Eo tempore Polla tua misit, ut ad te, si qvid vellem, darem literarũ, cùm qvid scriberem non habebam:* comata sunt qvinq;, totidemq; sententiæ, in ordinem naturalem sic restituendæ (1) *Polla tua misit eo tempore* (2) *cùm non habebam* (3) *qvod scriberem* (4) *ut ad te darem aliqvid literarum* (5) *si vellem.* Vinculum primi & secundi commatis est relativum, *tùm - cùm* (id n. valet, *eô tempore, qvô*) : secundi & tertij relativum itidem (non habebam *illud - qvod* scriberem) qvarta primæ cohæret vinculo finali (*misit ut scriberem*) : qvinta qvartæ conditionaliter annexa est (ut *scriberem, si vellem.*)

Idem Cicero ad Atticum: *Licet tibi, ut scribis, significarem, ut ad me venires Sidona: tamen intelligo te istic prodesse, hic ne verbo qvidem levare me posse.* Periodus bimembris est, resolvens se in sententias sex, hoc modo. (1) *Licet tibi significarem:* est sententiæ concessivæ membrum prius, cui membrum inde qvartum respondet. (2) *Vt* (i. qvemadmodum) *scribis* (tu) : relativa ad primam se referens. (3) *Vt venires ad me*: finalis sententiæ pars posterior, pendens à membro primo. (4) *Tamen intelligo*: concessivæ membrum posterius, pendens à sententia prima. (5) *Te istic prodesse*: est, primò, notificativa contracta (pro, *qvòd tu istic prosis*) deinde est pars correlativæ, respiciens (per voculam *istic*) membrũ seqvens. (6) *Hic* (autem) *ne verbo qvidem levare me posse*: est, primò, notificativa contracta (pro, *qvòd non potes*) : secundò, admiscet se negativæ membrum (*ne verbo qvidem*): tertiò, occultè se admiscet conjunctio adversativa (autem) necessariò intelligenda &c. (*)

760. *Enallage Periodica* est, si qvando sententia pro sententia ponatur, membráq; Periodi alio, qvàm naturaliter debebant, vinculo con-

lo connectuntur. Ut si pro, *Veni tempus enim est*, dicas: *Veni, si tempus est*: vel, *Veni, nec tempus perdas* &c. causalis scilicet loco adhibens conditionalem, vel aliam.

[Verùm hæc elegantiam redolent, & Atrio servanda sunt.]

LXVIII.

Orationis integræ textura.

761. Divisa fuit *Oratio* (§ 94 &c.) in *diffusam & concisam, humilem & sublimem, prosam & ligatam*: quæ artificia docere qvia non hujus loci est, suffecerit Orationis prosæ, humilis, rebus accommodatæ, ostendere structuram. De qvo aliqvot notabis monita.

762. *In Sermone vulgari Periodorum rationem curiosè haberi, nihil interest*: membratim ac incisim loqvi (dummodò Sententiæ aptè cohæreant) sufficit.

763. *In Historijs scribendis, Orationibusq; solemniter habendis, Periodos adhibemus*: sed & ibi, si materia ubertim affluat, mittendus est spiritus, vel calamus, ut liberè fluat. (Atq; tum non *Periodi* erunt, sed *Periodica*: ut dictum est § 754.

764. *Si qvando ex tempore tibi* (in doctrina Periodica nondum satis exercitato) *loqvendum aut scribendum est, consultum fuerit Periodis uti* (1) *unimembribus* (2) *à Casu recto incipientibus*

cipientibus (3) *& per Indicativum animi sensa efferentibus*: ita aberrare vix poteris.

765. Tum & hoc videndum, ut *Ordo Vocum in Phrasi, vel Sententia, & Sententiarum in Periodo, & Periodorum in Contextu, nativus sit*: ut nempe qvomodo alia ab alijs nascuntur & pendent, ita se invicem inseqvantur.

[Ex. gr. in Phrasi hac, *Mores discere diligenter*, naturalissimum fuerit Verba sic locari, *Diligenter discere mores*: qvia τὸ *Discere* cum utroq; cohæret. Nempe *Diligenter discere*, per Regulam XIII: *Discere mores*, per Reg. X. Ita Sententiam illam, *Necessitas tollit arbitrium*, sic nativo vocum ordine extulit Seneca, Sicut & alteram hanc Cicero: *Omnia sunt misera in bellis civilibus*. Qvaliter nos contexere Ianuam nostram constitueramus, nec tamen ubiq; observavimus: sive oblivione qvâdam, interdum; sive simplicitatis perpetuæ tædio, ne vel ipsis discentibus nausea moveretur. Et qvia tandem præludendum est paulatim Ornato sermoni: præsertim ubi consvetudo vernaculæ non abludit.]

766. Habet qvoq; *Oratio* suos *Pleonasmos. Ellipses, Anastrophas*, & *Enallages*. [Verùm hæc qvia magis Logicum qvid sunt, qvàm Grammaticum, doceri hîc nihil est necesse. *Pleonasmi* exemplum vide § 81 & 82, reliqvo Textui insertis.]

Tertia

Tertia pars Grammaticæ
ORTHOEPEIA.

LXIX.

Orthòëpeia qvid, & qvotuplex: nempe Orthotonia & Orthographia, cujus utriusq; *Leges generales.*

767. Orthoëpeia dicitur recta Sermonis prolatio: qvæ facta ore, *Orthotonia est*; manu autem, *Orthographia*.

[*Orthotoniam* vulgò *Prosodiam*, h. e. accentum, seu accinendi rationem, vocant. *]

768. Discitur a. Orthographia cum Orthotonia meliùs junctim, qvàm separatim: qvia ut loqvimur, ita scribimus, sive

Regula generalis
Qvalis pronuntiatio, talis scriptio: ac vicissim.

769. Quæ summa Regula resolvit se in alias sex.

I.

770. *Qvicqvid ad Sermonem pertinet, scribendum & pronunciandum; qvicquid non pertinet, nec scribendum nec pronuntiandum est.* (Ad qvid n. otiosa?)

II.

771. *Qvæcunq; in Sermone cohærent, cohærenter scri-*

ter scribenda & pronuntianda sunt, sine divulsione. (Divellitur aliàs mens ipsa.)

III.

772. *Distincta inter se, distinctè quoq; scribenda & pronuntianda sunt.* (Ne scilicet litera literam, Vox vocem, Linea lineam &c. loco trudat, vel scandat, aut incurrat, eóq; obumbret, obscuret, illegibilem, intelligibilemq; reddat.)

IV.

773. *Idem modo eodem, diversum diverso, scribendum & pronuntiandum est.* (Ut scilicet evitetur confusio & ambiguitas.)

V.

774. *Omnium ad omnia servanda est proportio, scribendo & pronuntiando.* (Ne videlicet Vox voce, aut Litera literá &c. citra necessitatem sit major, prolixior, sonorior.)

VI.

775. *Notabiliora proferenda notabiliùs.* (Ut nempe Lectori, & Auditori, ipsa picturæ ac toni diversitas attentionem in animo excitet, ubi & qvantùm necesse est.)

776. *Ex his sex Regulis tota vera Prosodia & Orthographia fluit.*

[Nihil itaq; jam nisi illarum ad *Literas, Syllabas, Voces, Phrases, Sententias, Periodos, integramq; Orationem, applicatio* fiet. Non semper allegando verbis (ne tautologia sit) semper alludendo sensu.]

LXX.

LXX.
Orthotonia & Orthographia LITERARUM.

777. *Quævis Litera scribenda & pronuntianda est integrè, sine mutilatione*; (seu figuræ seu soni. Per Regulam I.)

778 *Omnis litera una, sit linearum & soni tractu una: cujus nulla pars à corpore suo divellatur.* (Per Reg. II. Non g. pronunciabis, *aaa*, sed *á*: neq; scribes *a*, vel *a*, aut *a*, sed *a*: & sic ubiq;, ut qvicqvid est unum, sit continuum; servit n. evidentiæ.)

779. *Qvælibet litera ita pronuntietur, & scribatur, ut sonum & lineas habeat cum alijs inconfusa.* Per Reg. III.

[Obs. Qvasdam tamen literas scribendo connecti, usu invaluit, putaturq; elegantia: *ct*, *sp*, *st*, *&*: (sicut apud Germanos st, ss, &c.) Ita Bivocales duas, *æ*, & *œ*, concorporatis lineolis scribimus: utinam & reliqvas tres: ut pateat *au*, *ei*, *eu*, non duas esse Vocales, sed ex duabus conflatam unam.]

780. *Literas ita proferri oportet, ut Voces ab invicem distingvi valeant; seu scripta seu pronuntiata.* Per Reg. IV.

[Ergò non sunt confundendæ pronuntiando *B* & *P*, *F* & *Vau*, *G* & *Iod*; scribendo autem *I*, & *Iod*: U, & Vau &c. Sunt n. toto genere diversæ literæ: qvod particulatiùs etiam hîc monendum.]

Particulares Observationes è Regula IV:
(I) Orthotonicæ. (*)

781. *Litera una nonnisi uno modo pronuntiatur naturaliter.* Qvod particulariter ostensum patebit.

782. *Vocalis qvaq; Latinis semper sonat clarè, sono eodem.* (*A* semper ut *A*, nunqvam mixtè cum *O*, qvemadmodum fit apud Germanos & Polonos; neq; cum *E*, ut apud Anglos. Sic & cæteræ Vocales. *Y* tamen Græcum non ut *I* Latinum, sed ut semi *U* proferendum est: qvod & figura ostendit. Est n. nihil aliud *Y*, qvàm *V* cum subscripto I.)

783. *Ita & Bivocalis, qvomodo scribitur ita pronuntiatur: nempe ut sonus utriusq; Vocalis audiatur, licet prioris raptim.* Nõ rectè g. vulgò pronuntiamus *AE*, & *OE*, ut simplex *E*. *Enuntietur Vocalis ut vocalis, nõ ut diphthõg⁹: & Diphthõgus, ut diphthõgus, nõ ut vocalis.* (*)

784. *Sic & Consona apud antiqvos nulla habuit duplicem diversum, constanter unum simplicem, sonum.* (Corruptio g. est, qvòd apud nos qvædam aliter: nempe *C. G. S. T. V.* Nam C, ante E & I, molliter pronuntiamus (ferè ut Z) *Cicero*: alibi duriter (ut K vel Q) *Cano, Culpa, Crimen*, &c. Sed antiqvi eodem modo pronuntiabant *Cicero*, qvô *Kikero*: eôdem *Dicis* & *Dices* qvô *Dico, Dicas, Dicunt*. Vnde Varro literas K & Q, tanqvam inutiles, sublatas voluit.)

785. *Similiter G pronuntiamus ante E & I molliter, veluti Iod (Age, egi): alibi duriter*, ut Græcorum γ. & Germanorum (ac Polonorum) G; (*Gaudium, gloria* &c.): sed antiqvi posteriore modo semper.

786. *S. inter duas Vocales nobis sonat leniter (ferè ut Polonorum & Boh. Z), alibi acuto sibilo*: ut patet in *Vsu, Sus, Vrsus*, Item aute C, P, T, velut σ (*Scopus, Spiro, Sto*): *sed vitiose.*

787. *T. seqvente I cum alia vocali, pronuntiatur nunc ferè ut Z* (aut potius, ut Bohemis punctatum suũ ť, vel Polonis ć; *Peritia, qvoties, titio, exitium*): sed antiqvi eodem sono proferebant T, in *Artium*, qvô in *Artes*.

N. B. *Nos tamen etiamnum nativum retinemus sonum* (1) *in Vocum initio*, Tiara. (2) *Post S*, Ostium. (3) *in dictionibus Græcis*, Politia &c. (4) *in Infinitivo*

Poëtico-ier: *Mittier* (*pro, Mitti*) (5) *in Genitivo* Vitium, *à Vitis*, Rebe; *ad differentiam Nominativi*, Vitium, ein Laster.

788. *Vau Latinis molliter sonat, prorsus ut Germanorum* W: *est qvippe una eademq; litera*. (Vt patet in Vocibus qvas à Latinis mutuati sunt majores: *Vallum* Wall; *Vespa*, Wespe; *Vidua*, Widwe; *Vinum*, Wein; & alia plurima. (*)

(II) Observ. è Reg. IV. Orthographicæ.

789. *Literam unam figurâ unâ pingi naturale est: elegantiæ verò studium nostris qvibusdam lingvis majusculas induxit, à minusculis diversas.* Ut Latini A. B. C. D. &c. a b c d &c.

[N. B. (1) Majusculas etiam Vocant *Fractas*, seu *Fracturas*; item *Qvadratas* (minusculæ n. rotundiores sunt, ad celerem usum) *Unciales, Capitales*, & *Versales*: qvia in Capitum & Versuum initijs adhibentur.

(2) Vtriq; autem characteres sunt vel antiqvi, lineis perpendicularibus scripti, (ut A B C D E &c. a b c d &c.) vel cursivi, lineis obliqvè vergentibus, *A B C D* &c. *a b c d e f g* &c.]

790. *Proportio Literarum* (ex Regula V.) *potissimùm spectatur in* CALLIGRAPHIA: cujus leges qvatuor sunt.

791. (1) *Literarũ ductus paralleli sint*. (Nempe in antiqvis perpendiculares, IIII; in cursiva, æqvaliter obliqvi, *////*.)

792. (2) *Literarum cornua sursum* (in l, t, h, b, d) *& pedunculi deorsum* (j, y, q, g, p) *moderatè procurrant*. (Nempe in tantum, ut rectè videri qveant, nec tamen alterius versûs literas incurrant, & turbent. Per Reg. III.)

793. (3) *Corpora ipsa Literarum aqvalia sint, aqvaliterq; lineæ suæ insistant:* (non alia aliâ major vel minor, elevatior vel depressior, ex toto vel ex parte.)

794. (4) *Minusculi characteres cursivi, quò simpliciùs pinguntur, minusq; flexuosè & contortè, eò sunt venustiores, & scribi ac legi faciliores.*

Particulares de qvarundam Literarum Orthographia monitiunculæ.

795. *F, in Vocibus peregrinis nunqvam scribitur, sed Ph.* [ut Græcum *Philosophia*; Hebræum *Pharao*: Germanum *Rudolphus*, à Rathhülff, &c.]

796. *K, Y, Z, non usurpantur nisi in Vocibus peregrinis.*

[Hinc Vossius eos excusat, qvi Græca per κ scribunt; imò & Latina qvædam, ut Kaput, Kalendas, &c. Ita enim habet lib. I. Cap. XVII. *Cùm is scribendi mos obtinuerit florente Româ, neqvaqvam puto necesse habeat deprecari studij novitatis culpam, qvi id usurpet.* Et tamen mox ex Qvintiliano & Prisciano docet, *penitus id supervacaneum esse, necullam videri rationem, cur seqvente A scribi debeat K, non C*, &c.]

797. *Q nunqvam scribitur nisi ubi seqvitur V, alibi semper C:* ut Qvis, Qvi, Qverna, Aqva, Acarus, Cui &c.

798. *S minusculum dupliciter scribitur* (1) cornutum & pedatum, in vocis principio & medio: (2) sine cornu & pede, in vocis fine; ut *susurrus* (non, *susurrus*.)

799. *U vocalem scribe pede duplici; Vau consonam, pede simplici, V; aut potiùs ventre rotundo, V;* ut *Uva, Vultus* &c.

[NB. Eò

[NB. Eô magis hoc discrimen attende, qvia ineptissimè confunditur, etiam in Libris impressis. Sed qvi rectè prospiciunt, etiam in Germanicis, errorem emendare incipiunt, scribendo und/ unser &c. non autem, vnd/vnser &c.]

800. Vernacula per W scripta, Latinè per V scribi debent; Wien, *Vienna*; Warsaw/ *Varsavia*, &c. Vice versâ Latina per V scripta, Germanicè per W: *Vespera*, Wesper; *Adventus*, Adwent &c.

LXXI.

Orthotonia & Orthographia Syllabarum.

801. *Omnis Syllaba litera pronuncietur, omnia pronuntiata scribatur.* (Per Regulam I.)

[Hebræi, Galli, Angli, habent literas qviescentes, qvas scribunt, nec pronunciant: sicut & Germanis h non semper sonat, aliqvando tantùm syllabam producit, nempe in vocis medio, ut Hohn/ Ohn/ Uhr/ Nehren/ &c. At Latinè & Græcè (itemq; Italicè, Bohemicè, Polonicè, &c.) nihil non sonat, qvod scribitur: nihil non scribitur qvod sonat.]

802. *Omnis Syllaba scribatur & pronuntietur continuò.* (Per Reg II. Scribendum ergò & pronuntiandum, *Pars*, non, *pa rs*, vel *p ar s*.)

803. *Aliæ Syllabæ proferuntur celeriùs*, ut prior in *Citò*; aliæ tardiùs, & cum mora, ut prior in *Cœlum*; aliæ ambiguè, ut prior in *Patres*. Illas vocant *breves*, & *correptas*; istas *longas* & *productas*; has *ancipites*.

[Obs. (1) Græcis ipsæ Vocales sunt, qvædam breves, ut ε & ο; qvædam longæ, ut η & ω; reliqvæ ancipites, ut α, ι, υ: unde fit, ut syllabarum qvantitas faciliùs cognoscatur: apud Latinos res paulò difficilior est, attentioneq; eget majore,

(2) Apponitur qvidem syllabæ (qvum opus est) qvantitatis suæ nota, super vocalem suam; *longa*, lineola transversa, (ut, *pāreo*); *brevis*, semicirculus (ut, *păreo*) s *ancipiti circulus* (ut, *pătres*)

(3) Qvod qvia raro fit, Syllabarum verò qvantitas non ignoranda est propter Accentum (de qvo Cap. seqventi) hanc è Regulis discas necesse est: qvarum erunt decem.]

804. [I] *Omnis Bivocalis longa est*: ut prima in *Au-dio*, *Cœ-lum*, *Eu-rus*, &c.

[NB. Si tamen Bivocalem seqvitur Vocalis, fit anceps: ut *Præ-ire*&c.]

805. [II] *Omnis crasis longa est*: ut *Cōgo* (ex *coago*) *Dêro* (ex *Deero*) Nil (pro *Nihil*) &c.

806. [III] *Omnis Positio longa est* (nempe cùm vocalem seqvuntur duæ consonæ, aut una biconsona) ut prior in *ārma*, *āxis*, &c.

[Obs (1) Muta cum liqvida, post vocalem naturâ brevem, faciunt Positionem debilem, syllabamq; ancipitem. Vt qvia in *Păter a* breve est, in *Patris*, *patri*, *patrem* &c. produci vel corripi potest.

(2) Mutæ hic per excellentiam dicuntur B C D F G K P T V: liqvidæ verò L & R: ut in *La-brum*. *A-cris*, *hy-dra*, *Vafre*, *a-gri*, *a-pri*, *pa-tres*.]

807. [IV] *Vocalis ante vocalem brevis est*: ut prior in *Dĕ-us*, & prima in *Bĕ-atus*.

[Exc. 1. *Bivocalis ante Vocalem anceps est* (ut sub Reg. I. dictum.)

2. *Genitivus qvintæ Declinationis*, *utrinq; habens i*, *medium e producit*: Dī-ēi.

3. *In Genitivo novem Adnominum in* -ius (de qvibus vidisti § 280. Exc.) ĭ *anceps est*; Vnīus, *vel* Vnĭus. Sed NB. *Corripit Alterius semper*, *producit Alius*. Sæpiùs item producit *Solius*, & *Vtrius*.

4 FIO producit I, ubicunq; non seqvitur R: ut *Fīat*, *fīebat* &c. Sed ubi *r* seqvitur, *i* breve est: *Fiĕrem*, *Fiĕri*, &c.]

808. Qvatuor istæ Regulæ generales sunt, de omni

de omni Syllaba; qvæ seqvuntur speciales sunt, *de cognoscenda qvantitate syllabæ primæ, vel mediæ, vel ultimæ, in voce eadem*: (ubi nempe nec *Vocalis* est, nec *Positio*, neq; *Crasis.*) Attende paucis.

---

809. *Qvantitas Syllabæ primæ cognoscitur potissimùm authoritate*: (nempe Poetarum, consignaturq; in Lexico expressè.) Scire tamen juvat seqventes qvatuor Regulas.

810. [V] *Composito ostendit qvantitatem primæ, per Accentum rectè pronunciantis.* Qvantan. sit prior in *Purus*, & *Probus*, ex composito rectè pronuntiato patet; *Impūrus, Imprŏbus.*

[Obs. Corripiuntur tamen composita à *Dico*, *Causidĭcus*, *Maledĭcus*: à *Iūro*, *Dejĕro*, & *Pejĕro*: à *Nūbo*, *Innŭba*, & *Pronŭba.*]

811. [VI] *Qvanta est syllaba prima Vocis primitivæ, tanta & derivatæ.* Ut, qvia *ămo*; ergò & *ămare*, *ămor*, *ămicus*, &c.

[Excipe 1. A brevibus primitivis fiunt qvædam longæ: ut à *Rĕgo*, *Rēx*, *Rēgis*, *Regula*; à *Tĕgo*, *Tēgula*; à *Sĕdeo*, *Sēdes*; ab *Hŏmo*, *Hūmanus*; à *Sĕcus*, *Sēcius*: & si qvid aliud.

2. A longis primitivis qvædam fiunt breves: ut *Dīco*, *dĭcax*: *Dūco*, *Dux*, *dŭcis*; *Fīdo*, *Fĭdes*; *Lūceo*, *Lŭcerna*; *ōdi*, *ŏdium*; *Nōtus*, *Nŏta*; *Sōpio*, *Sŏpor*; *Sāgio*, *Săgax*: & si qvid prætetea.]

812. [VII] *Præterita & Supina bisyllaba priorem producunt.* Ut Tĕro, trīvi, trītum. [Excipe septem Præterita, novemq; Supina, qvæ corripiuntur: *Bĭbi*, *Dĕdi*, *Fĭdi*, *Scĭdi*, *Stĕti*,

Stĭti, Tŭli: *Dătum, Rătum, Sătum, Cĭtum, Lĭtum, Quĭtum, Sĭtum, ĭtum* (ab Eo, ire) & *Rŭtum*.

813. [VIII] *Præterita primam reduplicantia, eandem corripiunt: ut,* Cŭcurri, Fĕfelli &c.

---

814. [IX] *Mediæ Syllabæ quantitas analogiâ derivationis, declinationis, conjugationis, cognoscitur.* [Nempe qvia dicitur *Fertĭlis*, etiam *Futĭlis, Portatĭlis, Versatĭlis,* &c. Qvia *Amābam*, etiam *stābam, arābam*, &c. Excipitur tantùm in conjugatione prima *Do*, cujus *a* corripitur: *Dăre, dăbam, dăbo*, &c.

815. [X] *Vltimæ syllabæ quantitas terminatione cognoscitur.* [Corripiuntur n. desinentia in *a, b, d, e, l, m, n, r, is, us, t*: producuntur in *c, i, as, es, os*: tametsi hîc & illîc excipiantur qvædam. Qvod scire cùm nihil referat, nisi ad carminis rationem (*) differamus in Atrium.]

LXXII.

Orthotonia & Orthographia Vocum.

816. *Vocis Prosodia in Accentu consistit*: qvô syllaba Vocis qvædā attollitur, alia deprimitur.

817. *Accentus est triplex*: *Acutus*, qvi syllabam acuit & attollit, ut *Dóminus* (notatur n. lineolâ

lineolâ obliqvâ dextrorsùm ascendente); & *Gravis*, qvi syllabam gravat & deprimit, ut *Doctè* (signaturq; lineolâ dextrorsum descendente); tandem *Circumflexus*, qvi attollit & deprimit, ideoq; cum mora effertur; ut *Amâre* (signum ejus ex acuto & gravi conflatur ^.)

818. Ad illam tamen Latinorum sonorum varietatem & svavitatem gentium aures dudum obsurduerunt: solus ferè acutus hodie retinetur, & in productione Syllabæ spectatur, *Amáre*, *Docére*, &c. [De illo itaq; Regulas accipe: (qvandoqvidem apud Latinos & Germanos non expressè scribi solet, ut apud Hebræos & Græcos, hodieq; Bohemos) (*) Erunt a. Regulæ sex.]

819. [Regula I.] *Omnis Vox* (apud Latinos) *accentum habet, eumq; nonnisi unicum.* [Hoc propter Lingvas dicitur, qvarum voces qvædam nullum accentum habent; aliæ duos vel tres.]

820. [Reg. II.] *Omnis vox monosyllaba accentatur*: Pés, Vír, &c.

821. [III] *Disyllaba habet Accentum in priore*: Pédes, Víri, &c.

822. [IV] *In polysyllabis attenditur syllaba penultima: qvæ si longa est, retinet Accentum*; ut amœnus; *si brevis, vel anceps, rejicit in antepenultimam*; ut, Cómpedes, Virítim, &c.

823. [V] *Qvædam tamen Accentum transfe-* runt à

runt è penultima, vel antepenultima, in ultimam. [Nempe (1) *Interrogativa*: Num egó? Qvid tu Dominé? (2) *Voculæ qvædam encliticæ* (ut, *ne* Adverbium; *qve* & *ve* Conjunctiones; & *ce*, *met*, &c. Adiectiones) *à tergo vocis appensæ.* Dominùsne? Nobis vobisq; (non, Vóbisq;); Mihi tibíve (non, tíbive); Hujúsce (non, hújusce); Nobismet &c. Ita Capulótenus (non, Cápulotenus). (3) *Ablativus primæ & secundæ Declinationis, & Genitivus qvartæ,* consveverunt in ultima circumflexo notari, ad differentiam Nominativi vel Dativi casûs: ut *Gloriâ, Cultrô, Vsûs*, &c. Similiter *Adverbia*, ad differentiam Nominum, vel Adnominum; *Vnâ, Continuô, Doctè*, &c. (Rectè id; vi Regulæ generalis IV.) (4) *Composita à fis, fit*, accentum retinent in ultima, etiamsi non scribant: ut, *Calefit* (non, cálefit, aut caléfit) &c.]

824. [VI] *Nomina Græca, quæ literas & formaturam Græcam retinent, proferuntur accentu Græco*: ut, Prosodía, Politía, Diatýposis &c. (προσωδία, πολιτεία, διατύπωσις &c.); *sed quæ aliquid mutant, accentu Latino*: ut, Theatrum (non, θέατρον) Ellípsis (non ἔλλειψις) &c.

---

825. Ita est vocum Prosodia: de Orthographia peculiariter hæc disce.

826. *Vox qvælibet tota in se scribitur, ab antecedente & seqvente spatiolo secreta.* [Evidentiæ nim. causâ, per Reg. II. & III. Quid n. fieret, si sic scribere velis? *Deuscreavitmundũ*; vel *Deusc reavit mundum.* NB. Et qvanqvam similis pronuntiatio, si post singula verba cessationem adhibeas, distinctiùs qvoq; percipiatur auribus; adhiberi tamen eam non æqvè necesse est: nisi fortè in Lingva nondùm satis nota, qvæ demum discitur.]

827.

827. *Qvando inter scribendum extremitas lineæ non capit Vocem integram, reservatur ejus syllaba* (una vel plures) *linea seqventi, cum tali signo -vel =.* [ὑφ ἓν vocant, i. e. *subunionem*, vocis divisæ indicem. Sed vide ut syllabas rectè ab invicem distingvas. Qva de re (præter illa qvæ dicta sunt Cap. XXII.) sunt Regulæ tres.]

828. [I] *Consonæ, qvæ Vocem inchoare possunt, & solent, in medio Vocis divellendæ non sunt, sed relinqvendæ syllabæ seqventi.* [Ut, *He-bdomas* (qvia *Bdellium*); *I-gnis* (qvia *Gnavus*); *A-ptus* (qvia *Ptisana*); *Pi-scis* (qvia *Scio*); *A-sper*, (qvia *Spero*) *Te-sqva* (qvia *Sqvalor*); *No-ster* (qvia *Sterno*) & sicubiq;. Vide tamen Annotationem ✻.]

829. [II] *Qvomodo syllabæ vocis primitivæ dividuntur, ita & derivatæ.* [Ut, qvia *Te-go*, ergò & *Te-gmen*. Qvia, *Do-ceo*, ergò & *Doctor*, *Do-ctrina* &c. Notabis a. nòn ideò scribi *Te-gmen* & *Do-ctrina*, qvasi vox ulla occurrat incipiens à *Gm*, vel *Ct*; sed qvia *Te*, & *Do*, syllabam constituunt in radice, *Te-go*, & *Do-ceo*, (✻)]

830. [III] *Vocis composita partes non sunt confundendæ, aut discerpendæ.* [Ergò scribes, *Ab-ire* (non *A-bire*) & *Abs-cedo* (non *Ab-scedo*). Ita *Dis-cors*, *Propter-ea*, *Met-hodus* (qvia ex μετὰ & ὁδὸς) &c.

831. Duæ vocales Diphthongum facientes,

sicubi

sicubi diphthongum non faciunt, notantur *signo diæreseos*, suprà scriptis duobus punctulis: sic, *Aër*, *Poëta* (ut ne pronuncietur *Ær*, *Pœta*.)

832. Vox, in qva (Literarum aut Syllabarum) crasis est, signo circumflexo notatur: ut *Dî*, pro Dij; *Occîdo*, pro Occædo; *Amârunt*, pro Amaverunt. [NB. Adscribendum illud signum est, ubicunq; crasis est; non tantùm scil. in ultima vel penultima, sed & antepenultima, ut *inîqvus*, *inîqvitas*. *Incîdo*, *incîdamus* &c. ad differentiam *Incidamus*, à *cado*; per Reg. IV.]

833. Nomina propria, & inde deducta, à majuscula inchoant: *Roma*, *Romanus*, *Romanè*. [Sic & qvævis ferè vox emphatica, qvam præcipuè attendi volumus, etiamsi Verbum, vel Adverbium &c. sit. Vide 59. 12. 34. 358. 823. &c.]

834. Vox derivata seqvitur Orthographiam primitivæ. Scribes igitur *Gratia*, per T, qvia venit à *Gratus*. *Audacia*, per C, qvia ab *Audaci*. [Obs. 1. *In Verbis desinentibus in* cio & tio: *utrū c an t scribendum sit, cognosces ex persona secunda*: *Facio*, per *c*, qvia *facis*: *Qvatio*, per *t*, qvia *qvatis*, &c. Obs. 2. *Verborum præterita & supina, & quæ inde veniunt, mutant qvandoq; literam in aliam vicini soni*: ut, Scribo, scripsi, scriptio, scriptura &c. (sicut & vernaculè, Schreiben, Schrifft.) Obs. 3. Supinis in-

minus

mtum terminatis, & alijs inde formatis interseri solet P, sed vitiosè: *Emptus, Sumptus, Comptus,* &c. pro *Emtus, Sumtus, Comtus* &c. Quod emendandum.]

835. *Ejusdem Vocabuli qvandoq; diversa esse potest Orthographia.* [Nempe qvando de Vocis origine inter doctos non convenit, & alij aliter usurpant. Ut, *Allucinari*, vel *Hallucinari*. *Arcesso, vel Accerso. Convitium*, vel *Convicium. Fœmina, Fœlix, Fœtus, Fœnus*, per *æ*, vel per *e* simplex. *Patricius* vel *Patritius*; *Otium* vel *Ocium*; *Scena* vel *Scæna*; *Solemnis* vel *Solennis* &c.

836. *In Compositis non exterendum est qvidqvam essentiale*: ut S in verbis ab *S* incipientibus. (Scribendum ergò est, *Exspecto* (non, *Expecto*) *Exscreo* (non, *Excreo*) uti multi faciunt, minùs rectè. [Aliud n. est *Expolio*: & aliud *Exspolio*: sicut & Germanis umb Ringen / circumdare; & umb Bringen / occidere. Confusio vitanda est ubiq;, per Reg. III. & IV.]

837. *Nomen è duobus compositum recipit in medio lineolam* (hyphen): ut, *Romano-Græcus*. Vide talia in Janua § 233. qvater.

[Ita est *Semper-Deus*, apud Virgilium; & *semper-lenitas keri*, apud Terentium.]

838. Omnis Vox sensum ambiguum parere apta; accentu signetur. Vt, *Citò, Loqvêris,*

Fructûs

Fructûs, *Alîus* &c. ad differentiam *Cito* (as, at) *Loqveris*, Fructus, &c. Item *Pòst*, *Infrà*, *Suprà*, qvando Adverbia fiunt, ad differentiam *Post*, *Infra*, *Supra*, &c. qvando Præpositiones sunt. [Vide & § 825. Obs. 3.]

LXXIII.

Phraseos Orthotonia & Orthographia.

839. *Phrasis divellenda non est, quantum potest: si quid interponitur, circumsignetur commate, & interspiratione.* Ut, *Vir bonus*; *Vir*, uti creditur, *bonus*.

LXXIV.

Sententiarum Orthotonia & Orthographia.

840. *Sententia indicativa æqvali tono profertur; nec signo aliqvo peculiari opus habet.*

841. *Sententia admirativa principium elevat:* cui adscribitur punctum admirationis (!) ut

Proh Deũ immortalẽ! | Sic pronunciabis, §. 483. 839. 938. 958.

842. *Sententia optativa principium elevat, finẽ deprimit:* adscribiturq; illi punctũ Voti (!) ut,

Utinam

Uti-
nam adfuis-
ses ! | Tales sunt §. 498. 915.

[Obs. Signum voti simile signo admirationis (!) hactenus usurparunt. Sed præstaret esse diversum (per Reg. IV.) ut pronunciatio diversa est. Quid si lineolâ deorsum tendente? qvomodo scil. tonus ipse tendit, ¡]

843. *Sententia interrogativa adscribitur punctum interrogationis* (?) pronunciatur verò sic, ut elevetur tam principium qvàm finis. *Ut*

Qvis est? Qvis
ad me cat?
vo

844. *Voces similes, sine copula sibi proximè appositæ, commate & respiratiunculâ interstingvuntur.* Vt Cic. *Labi, errare, nescire, decipi, turpe ducimus.* Sic § 42. 198. 244. 267. 283. 284. 289. 493. 621. 673. 915. &c.

[NB. Copulâ præsente, commatis signum, ut & respiratio, inutilia fuerint : ut si dicas, *Labi & errare, nescire ac decipi,* &c.]

845. *Si qvid Sententiæ interstruitur* (ut Vocativus, Interjectio, Sententiáve integra) *commate utrinq; notatur* : ut, Magnum opus & arduum, *Brute,* molimur, &c. Cic. Vide § 484. 632. 644. 938.

LXXV.

Periodorum Orthotonia & Orthographia.

846. *Omnis Periodus scribendo incipit à majuscula, & desinit in punctum*: pronunciando v. inchoat á silentio, & terminatur in silentium, seu respirationem justam.

847. *Periodi partes minores sejunguntur ab invicem Commate, majores Colo, media semicolo*: respirationesq; proportionatæ sint interstinctioni. Ut in illo Musonis apud Gellium: *Si qvid turpe feceris cum voluptate; voluptas abit, turpitudo manet: si qvid honestè feceris cum labore; labor abit, honestas manet.* (Vide § 202. 258. 268. 271. 272. 280. 605. &c.)

848. Semicoli etiam usus singularis est *in distingvendis oppositis, juxta invicem locatis.* Ut, *Propria, aliena; publica, privata; sacra, profana.* [Hîc n. nimium fuerit, post *aliena* & *privata*, colon poni; & tamen major interspiratio est, qvàm post *propria, publica, sacra*: ergò adhibetur medium, semicolon. Vide talia § 257. 484. 507. &c.]

849. *Si qvid ad essentiam Periodi non spectans interseritur, includendũ est signo parentheseos* ( ). *pronunciandumq; tono paulùm submissiore*: & respirandum æqvè ante parenthesin, ac post illã, non secùs ac in Commate aut colo. (Vide § 19. (bis)

19 (bis) 21. 24. 26. 41. 84. 85. 199. 624. &c.)

850. *Ubicunq; interrogatio, vel admiratio* (aut *votum*) *occurrit, ibi loco simplicis puncti* (aut *semipuncti*, vel *commatis*) *punctum interrogationis, vel admirationis, ponendum est*: similiterq; ipsa pronunciatio varianda. (Vide § 5. 6. 15. 215. 623. 624. 632. 654. 687. 997. &c.)

LXXVI.

Orthotonia & Orthographia Orationis.

851. Longior Orationis contextus, non tantùm *Periodis*, sed & *Paragraphis* ac *Segmentis*, distingvi; summarijsq; *inscriptionibus* (sive à fronte, sive ad latera) ornari solet.

[Est a. *Paragraphus novæ lineæ inceptio, ubi novum qvid, & à superioribus diversum, inchoat. Segmentum* a. *ubi novus tractationis articulus incipit*, cum novo, Capiti præfigendo, titulo. In Januæ qvidem Textu, hâc editione, cuivis Periodo dedimus novam Paragraphum, evidentiæ causâ: Segmenta v. sunt ipsa Capita centum: Inscriptiones, Capitibus præfixa summaria.]

852. *Qvicqvid emphaticum est, scribatur majusculis, proferaturq; fortiùs*: seu fuerit *vox una* (ut § 9, 10, 12, 15, 16, 17, 73, 74 &c.); seu *phrasis* aut *sententia* (ut § 684. ter; 685.

qvater; 687, octies) seu *periodus* (ut § 1000); seu etiam integer aliqvis contextus (ut solent *Epitaphia* &c.)

853. *Si qvid alienum allegatur, notabatur antehâc binis ad marginem semicirculis;* „ *nunc aliâ Typi formâ.* [NB. Nempe si Authoris contextus ponitur antiqvâ, allegatum exprimitur cursivâ: aut vice versâ.]

854. Qvando aliqvid notum allegatur (aut aliqvid totum enumerare non libet) posito expressè principio, additur *&c:* hoc est, *& cætera.* Ut § 86, 87, 95, 97 (ter) 560 (bis) 561 (ter) 562 (qvater) &c.

855. *Scribendi compendium est, qvum Litera, vel Syllaba, Vocem significat.* Ut *S. P. Q. R.* h.e. Senatus Populusq; Romanus. *Mar. Tul. &c.* i. e. Marcus Tullius Cicero.

[Talibus antiqvi utebantur crebrò. (1) Propter chartæ penuriam, ut minori spatio plus comprehenderent. (2) Ad scribendi celeritatem. (3) Ad occultandum qvædam ab imperitis. Nunc ijs rarò utimur, qvia chartâ abundamus; & artem scribendi celeriter, *Typographiam*, habemus; sicut & occultandi modos alios. Qvæ aperto scribuntur, aperta esse constat.

Vtimur tamen non inviti qvibusdam. Vt, *B:* i: e, *Beatus. S:* sanctus, *S. S:* Sacrosanctus, *Vel* Sacra Scriptura. *S. D. P.* Salutem dico plurimam. *V:* Vale. *T. C. D:* Tua clarissima dignitas. *M, D:* Medicinæ Doctor. T. C: Tua Celsitudo. &c. &c.]

Finis.

Index

Index Capitum GRAMMATICÆ.

I. Grammatica *quid: partes ejus quot,* pag. 1.
II. *Orationis partes quid & quot,* pag. 3.
III. *Orationis pars prima,* Litera, *quid & quotuplex,* pag. 3.
IV. *Orationis pars secunda,* Syllaba, *quid & quotuplex.* pag. 5.
V. *Orationis pars tertia,* Vox, *quid, & quotuplex: ubi Vocum classes decem,* pag. 5.
VI. Nomen *quid, & quotuplex.* pag. 8.
VII. Adnomen *quid, & quotuplex.* pag. 9.
IIX. Pronomen *quid, & quotuplex* pag. 11.
IX. Verbum *quid, & quotuplex.* pag. 12.
X. Participium *quid, & quotuplex,* pag. 13.
XI. Adverbium *quid, & quotuplex.* pag. 14.
XII. Præpositio *quid, & quotuplex,* pag. 16.
XIII. Conjunctio *quid, & quotuplex* pag. 17.
XIV. Interjectio *quid, & quotuplex,* pag. 19.
XV. Adjectio *quid, & quotuplex.* pag. 20.
XVI. Phrasis *quid, & quotuplex.* pag. 21.
XVII. Sententia *quid, & quotuplex,* pag. 22.
XVIII. Periodus *quid, & quotuplex,* pag. 25.
XIX, Oratio *quid, & quotuplex.* pag. 26.
XX. *De Orationis per singulas partes* Structura, *seu* Formatura, *ter trinâ ratione exhibenda.* pag. 28.
XXI. *Literarum formatura,* pag. 29.
XXII. *Syllabarum formatura,* pag. 31.

XXIII. *Formatura Vocum in genere: componendo, derivando, flectendo.* pag. 33.
XXIV. *Formatura Nominum, derivando, componendo, flectendo,* pag. 36
XXV. *Adnominum formatura, derivando; componendo; flectendo; in Nomen transformando.* pag. 59.
XXVI. *Pronominum formatura,* pag. 75.
XXVII. *Verborum formatura, derivando, componendo, flectendo,* pag. 76.
XXVIII. *Participiorum Formatura,* pag. 105.
XXIX. *Adverbiorũ formatura duplex,* p. 106.
XXX. *Præpositionum structura.* pag. 108.
XXXI. *Formatura Phrasium in genere,* pag. 113.
XXXII. *Structura Nominis cum Nomine ejusdem rei,* pag. 114.
XXXIII. *Structura Nominis cum Nomine diversæ rei,* pag. 117.
XXXIV. *Structura Nominis cum suo Adnomine,* pag. 121
XXXV. *Structura Adnominis cum Dativo,* 126.
XXXVI. *Structura Adnominis cum Ablativo: elliptice autem cum Genitivo & Accusativo,* pag. 127.
XXXVII. *Pronomen cum Nomine,* pag. 132.
XXXVIII. *Structura Verbi cum Verbo, sine copula.* pag. 134.
XXXIX. *Structura Verbi cum Nominativo; (vel Vocativo.)* pag. 136.

XL.

XL. *StructuraVerbi cum Nominativo gemino,* pag. 140.
XLI. *Structura Verbi cum Dativo,* pag. 142.
XLII. *StructuraVerbi cũ Accusativo,* pag. 143.
XLIII. *Structura Verbi cum Ablativo: & per Ablativi ellipsin cum Genitivo.* pag. 147.
XLIV. *Structura Verborum Impersonalium,* pag. 150.
XLV. *Structura Participij cũ Nomine.* p. 153.
XLVI. *Structura Adverbij cum Verbo: ellipticeq́; cum Nomine etiam,* pag. 155.
XLVII. *Structura Præpositionis cum Nomine: & per accidens cum Verbo,* pag. 157.
XLVIII. *Structura Conjunctionis cum alia Voce: itemq́; Interjectionis & Adjectionis,* p. 164.
XLIX. *Formatura Sententiarum: primùm Interrogativæ & responsivæ,* pag. 168.
L. *Structura Sententiæ affirmatæ & negatæ,* pag. 172.
LI. *Structura Sententiæ simplicis,* pag. 174.
LII. *Structura Sententiæ compositæ: & primùm quidem Copulatæ,* pag. 175.
LIII. *Structura Sent. Disjunctivæ,* pag. 177.
LIV. *Sententia Concessiva,* pag. 177.
LV. *Sententia Rejectiva,* pag. 178.
LVI. *Sententia Adversativa,* pag. 179.
LVII. *Comparativa Sententia: quam & Electivam (ineptè Discretivã) vocant,* pag. 180.
LVIII. *Conditionalis Sententia,* pag. 181.
LIX.

LIX. *Restrictiva Sententia,* pag. 181.
LX. *Exceptiva Sententia,* pag. 182.
LXI. *Notificativa Sententia.* pag. 182.
LXII. *Relativa Sententia.* pag. 183.
LXIII. *Sententia Continuativa, seu Ordinativa,* pag. 187.
LXIV. *Finalis Sententia,* pag. 188.
LXV. *Causalis sententia,* pag. 189.
LXVI. *Conclusiva Sententia,* (*seu illativa*) p. 190.
LXVII. *Periodorum syntaxis,* pag. 191.
LXVIII *Orationis integra textura,* pag. 196.
LXIX. *Orthoëpeia quid, & quotuplex: nempe Orthotonia & Orthographia, cujus utriusq; Leges generales.* pag. 199.
LXX. *Orthotonia & Orthographia Literarum,* pag. 201.
LXXI Orthotonia & Orthographia *Syllabarum,* pag. 205.
LXXII. Orthotonia & Orthographia *Vocum,* pag. 208.
LXXIII. *Phraseos Orthotonia & Orthographia,* pag. 214.
LXXIV. *Sententiarum* Orthotonia & Orthographia, pag. 214.
LXXV. *Periodorum* Orthotonia & Orthographia, pag. 217.
LXXVI. Orthotonia & Orthographia *Orationis,* pag. 218.

Annotationes ſuper GRAMMATICAM Novam Janualem.

Generalia.

ENixè nos quærere, ut Literarum ſtudijs meliuſculè ſit (nempe ut Juventuti amœniora videantur, citumq; illis in ipſa Sapientiæ adyta recludant aditum) conteſtati ſumus alibi. Id igitur in hac etiam *ſupra modum* (Voſſij teſtimonio) *contumace arte* elaborandum fuit, ut explanatiora eſſent omnia. Cujus rei non alia patuit ratio, quàm ſi provideretur, ut quicquid juniores hoc etiam conſtituti gradu agunt, *Rerum perVidere ordinem, & cauſas, eôq; res intelligere à fundamento*, condoceſierent: idq; modo quodam facili, ſi attentio adſit. Quæ & ipſa ne abeſſe poſſit, modi erant quærendi, inventoſq; confidimus; *Alloquia perpetua, Collationem Latinorum cum Vernaculis perpetuam, Praximq; theoriæ ubiq; junctam, inquiſitionem ſcilicet ſimilium exemplorum perpetuam:* ut non attendere, quid fiat, non poſſint; nec tam ſaturari exercitijs, quàm proritari ad aviditatem, neceſſe habeant. Quâ ratione puerili huic ſtudio rectè conſuli, ipſa amœna praxis, prænuperis illis ſalebris, oſtendet, ſpero.

2. Quia tamen Eruditorum quoque requirimus judicia, non ad praxin ſolam provocandum, rationibus inſuper, meliùs ſic iri, evincendum erit: *ut pateat, nobis in hac Sermonis arte tradenda non apicem eſſe mutatum, ſine evidenti neceſſitate; non apicem relictum, ſine certiſſimo uſus*

3. Sed antequam ad particularia veniam, rationem mihi generaliter puto reddendam. *Primùm, cur hic tot & tanta mutare sim ausus. Dehinc, cur tali hâc methodo hæc scripta sint. Et deniq; cur non breviùs tradita.*

4. Omnem *novationem* esse suspectam, ijs qui consvetis lubentes utuntur ingratam; & quia consuetudo in naturam quasi abit, violentum quid redolentem, sæpiusq; plus damni quàm utilitatis afferentem, non ignoro. Quæ & causa fuit, ut diu multumq; mecum ipse luctarer, ánne quemquam tam confidentem esse jus fasq; sit, ut tam inveteratis, licet pravè inolitis, citra universalis contradictionis metum obsistere, ijsq; meliora quæ novit substituere, audere debeat. Vicit tamen tandem verissima hæc persvasio, *dignam esse per omnes suas minutias Veritatem, cui adversus quascunq; falsitates testimonia ferat, cujus nuq; illa, quâcunq; parte, collustravit oculos. Dignam & naturæ humanæ sublimitatem*, cui à confusionum tenebris, & violentiæ compedibus, difficultatumq; salebris actricis, liberandæ, opem ferat quâ potest, quisquis potest. Dignam deniq; illam literati seculi nostri, ad majorem sapientiæ lucem assurgere usq; conantis, passim deprædicatam felicitatem, cui ad perfectionem suam (qualis sub cœlo datur) tandem aliqvando venturæ, nihil ullius obstaculi (quod quidem animadverti possit) relinquamus, atq; id scientes volentes toleremus.

5. Qvum igitur *Grammaticam, scientiarum illam Januam tam densis aculeatisq; obsideri spinis ac vepribus, ut vel eminus ingenia terreat, & a se abigendo* Scientiarum *aditum præcludat, satis jam constet*, publicisq; acæternis (nisi aliquando sistantur) querelis nimis notum sit (tetigimus ista Methodi LL. novissimæ Capite VIII. & alibi): quæ pusillanimitas erit, non audere de publica via, quâ pusillis eundem est, tot illa tollere, *si tolli*

si tolli possunt, offendicula? Tentandum utique est! ut gratificemur novellis, per prata quàm per spinas duci mavolentibus, ingenijs; adeoq; ipsi ingeniorum parenti Deo, qui ut nos per omnia rationalem creaturam fecit, ita irrationale nihil à nobis tolerari vult.

6. *Quantum ad nos*, si quem offendat quòd Methodum Grammaticæ, Terminosq; tam multos, mutare fuimus ausi, respondebo: *Non omnia esse mutata, quæ cum ratione poterant, sed tantùm quæ mutare coëgerunt melioris Methodi leges, ipsaq; necessitas.* Pleraq; n. relicta sunt, ideo solùm quia usu adeò invaluerut, ut tolli ægrè possint. Ex gr. *Positivi, Comparativi, & Superlativi*, appellationes Vossius valdè taxat, aliosq; substitui svadet, & quomodo possint, è Scaligero & Quintiliano ostendit. Nos tamen id ausi non sumus: tùm quia termini hi, leviculâ exegesi explicati, tolerari possunt; tùm quia quid singularis lucis, aut ad praxin facilitatis, ab illorum mutatione sperari possit, videre non potui. Illam proinde ejusdem Regulam; *Quæ semel recepta sunt in vulgus, ijs utendum potiùs sapientibus quoq;, quàm repugnandum consuetudini*, nostram fecimus. Et quod idem alibi: *Quâ praivêre priores, vestigia eorum premam, ne novitate animos magis turbem quàm juvem*, (de Analog I. Cap. XIX.) hoc plerubiq; seqvuti sumus: in necessarijs tantùm (unde multùm lucis & facilitatis sperare fuit) ausus fui eundem imitari, qui, *Hoc dico*, inquit, *non tam ut novitatis lenocinio ullum demerear, quàm studio veritatis. Nec tanti est, si displiceam pravâ institutione imbutis. Nam (ut est in analectis Petronianis) necesse habent cum insanientibus furere, & quod quisq; perperam didicit, in senectute confiteri non vult.* (de Anal. I. VIII.)

7. Nobis scopus non fuit, placere aut displicere cuiquam: sive oberrando per antiquas chordas, allegationeq; plurium, antiquorum aut recentium consen-

 sum

ſum, (quod à benè multis ad nauſeam uſq; factitatum eſt,) crepando; ſive rurſum cū alienis hallucinationibus colluctando, admiſſosq; errores in lucem protrahendo; quod eruditè jam *Friſchlinus*, *Rhenius*, *Schmidius*, *Bangius*, in primis autem ὁ πάνυ *Voſſius*, expediverunt. Sed ſcopus fuit rectè jam deprehenſa, vetera & nova, ita redigere in ordinem, ut ad celerem, amœnam, & ad bonos progreſſus efficacem praxin, ſpontaneam quandam repræſentent machinam. Ubi ſi *nihil falſi, nihil ſuperflui, nihil alibi quàm ſuo loco poſiti, attulerimus, querelarum eſſe finis poterit.* Si *inſuper ſpecialem illum noſtrum obtinemus finem, ut hæc verè fluida ſint, faciantq; citra moleſtiam omnes hâc euntes Grammaticos, in lucro deputabitur.*

8. Quantum ad Methodum, diſſertavimus de ea alibi: hîc addimus *Syntagmatis Grammatici ſynopſin*, ut ordinis ratio uno intuitu conſpectui pateat. Subjungimus verò *Terminorum technicorum indicem*, ſeu *Repertorium*; ut ſi quis non illicò ſe recolligat, invenire tamen quod quærit queat.

Capitum diviſio non talis eſt, qualem inſtituere ſolent, qui Latinam ſolùm Grammaticam (vel aliam) ſcribunt: ſingulas (exempli gratia) Declinationes, & Conjugationes, ſingulis capitibus pertractando. Nobis quia ad Lingvas communiter reſpectus fuit, (nec autem quælibet Declinationes 5, aut Conjugationes 4 habet) tali materiarum partitione uti viſum fuit, ut ſub quolibet Capite, quælibet Lingva, quod dicat habeat. Quâ parallelismi viâ hoc iterum quæſivi, ut ſi quando *Grammatica polyglotta* ſcribenda fuerit, quæ Lingvarum præ cæteris plus aut minus tricarum habeat, facilè conſpici poſſit. Periodorum numeratio, & quidem per totum librum continua, ad allegata inquirendi facilitatem ſpectat.

9. Particularium rationes reddimus particulariter,

ter, vel ad ſingula Capita utile aliquid ſubmonendo: ut nemo Pædagogorum quid fiat ignorare, & an rectè fiat non attendere, poſſit. Quæ annotatiunculæ ſi omnes breviculæ fuiſſent, potuiſſent in ipſa Grammatica, locis ſuis, interſeri. Verùm quia quædam illarum prolixiùs excurrunt, malui eas hîc ſeorſim poni, tùm ne Grammaticæ corpus augerent, tum ne fortè turbarent diſcentem: docentem autem, moneri eo de loco hîc in Notis quiddam, aſteri ſco monemus.

10. *Si cui nihilominus ipſa quoq; Grammatica prolixior videbitur, fatebor & mihi videri.* Sed eam reddere breviorem annifus, nondum commodè potui: niſi neceſſaria, quæ ignorari non poſſunt, amputare, h. e. artem corrumpere, & à Methodi ſcopo ſciens volens aberrare, voluiſſem. *Ars n. debet Horologij eſſe inſtar:* ubi conſtrui omnia ſic oportet, ut moto uno moveantur cætera, & quidem harmonicè: aut erit machina inutilis. Quam utiq; reddet inutilem, ſi quis vel unicam *Rotulam* (hîc autem Regulam) aut paxillum (præceptum vel exemplum utile) demat, aut non ſuo loco ponat. Quia igitur nos corpus Grammaticæ noſtræ non minutijs, quas ſcire nihil interſit, ſed obſervandis neceſſariò ſermonis futuro artifici, explevimus: *non prolixum videri debet, cui nihil ineſt quod demere poſſis.* Interim ſi cui datum eſt, aut dabitur, breviorem hîc eſſe, nec obſcurum; non ſolùm permitto noſtra mutari, & concîſiùs tradi, ſed etiam ut fiat obteſtor. Relatum mihi eſt D. Voſſium ſyntaxin Latinam ad aliquot reduxiſſe folia: quod ſi ita eſt, publicè orandus erit ut publico exponat. Oſtendat nobis præclariſſimus vir *Grammaticam* (ſicut Bartholomæus Evangelium) *longam & brevem.* Exhibuit eam priùs libris ſeptem, exhibeat jam folijs ſeptem: & omne feret punctum, tanquam δαδοῦχον ſequemur omnes, Omnium nomine polliceor.

Nos

Nos interim Grammaticis noſtris præceptionibus notulas attexere incipiâmus.

Ad Cap. I. § I.

Innuitur hîc (1) *Grammaticæ diſcendæ tempus*: poſt comparatam uſu aliquam Lingvæ cognitionem. (2) *Vim ejus in eo eſſe*, ut quod eatenus in diſcente fuit vagum, aut fluctuans, Regulis conſtringatur, fiatq; fixum. (3) Eoq; loqventem & ſcribentem reddat ſecurum: de quo & § 4. monentur diſcipuli.

Ad § 7.

Mentionem injicimus vulgatæ partitionis Grammaticæ, in *Etymologiam*, *Syntaxin*, *Proſodiam* & *Orthographiam*: ſed ſenſu pleniore ac meliore. *Vulgò* quippe *Orthographiam ad ſolas Literas*, *Proſodiam ad Syllabas*, *Etymologiam ad Voces*, *Syntaxin ad Vocum ſtructuram*, referunt. Quaſi verò quod *de rectâ* Syllabarum quoque, Vocum, Sententiarum, Periodorumq; *ſcriptione* præcipiat Orthographus, nihil ſit. Aut quaſi *pronunciatio legitima*, *modulatioq; debita*, ad Syllabas tantùm pertineat: non verò etiam, adeoq; magis, in Vocibus, Sententijs, Periodis (prout in his Interrogatio & Reſponſio, vel Exclamatio, aut Admiratio &c. occurrit) obſervanda veniat. Aut quaſi conſtructio tantùm ſit Vocum in Sermonem; non verò etiam Literarum in Syllabas, Syllabarum in Voces, Vocum in Phraſes, Phraſium in Sententias, Sententiarum in Periodos, demumq; Periodorum in Orationem continuam. Cùm ergò omnia hæc diſtinctiùs & pleniùs, h. e. meliùs, & certiore diſcentium uſu, ſic tradi poſſint, quomodo per naturam ſeipſa conſeqvuntur, ſequendas putavimus potiùs certæ gradationis vias, quam incertæ conſvetudinis ſalebras. Voluimusq; Grammaticæ partes conſti-

constituere quidem tres, (Prosodiâ & Orthographiâ in unam redactis: cujus ratio pòst patebit) sed ita, ut quælibet harum septem alias includeret. Sex nimirum Sermonis articulos, sive *Orationis partes*, *Literam*, *Syllabam*, *Vocem*, *Phrasim*, (seu Dictionem) *Sententiam*, *Periodum*, *demumq; ex his contextam Orationem*. (Ut nempe *Etymologia horum omnium differentias*, *Syntaxis horum omnium structuras*, *Prosodia horum omnium pronuntiationem*, *& Orthographia scriptionem*, doceret)

Unum hîc durum videatur; quòd sic *Vocum Declinationes & Conjugationes ab Etymologia migrare jubeantur in Syntaxin.* Sed si Vocum vim, Ἐτυμολογία, *&* σύνταξις, seqvimur, rectè ita fieri apparebit. *Etymologiæ* enim vox non id significat, quod Grammatici hactenus voluerunt, *Vocum singularium proprietates*: sed (ut Vossius interpretatur) λόγον ἐτύμων, *rationem Originum: ut proprie ita dicatur doctrina* (pergit Vossius) *quæ Vocum origines exponit.* Sic ergò Lexicum potiùs quid est, quàm Grammaticum. Cicero ἐτυμολογίαν, verbum verbo reddens, *Veriloqvium* interpretatur, in Topicis; in Quæstionibus autem Academicis *Verborum interpretationem*: rursumq; in Partitionibus, *Vocabuli explicationem*. Quod si acceptamus, perquàm commodè sensu nostro Etymologiæ nomen usurpabitur, ut illam Grammaticæ partẽ designet, quæ Sermonis humani partes tantummodò interpretatur; i. e. quid, & quot sint, & quomodo ab invicem differant, exponit. Quòmodo verò eædem illæ singulæ formentur, quemadmodum in se aliud est, ita ad alium spectat locum, nempe ad Syntaxin. *Si quis objiciat: Syntaxis, Constructionem sonat*: Declinando autem Nomina, & conjugando Verba, nihil construimus, sed flectimus duntaxat. *Duo respondeo. Primùm,* συντάττειν, non tantùm *constru-*

ere

ere, aut ordinare, significat, res scil. diversas: sed & rem unam *instruere*, aut *instituere*, vel *constituere*, prouti constituenda est: quemadmodum ex Plutarcho & Æschine Lexicographi exempla afferunt. Quidnî ergò, dum Nomen per Numeros & Casus, Verbum autem per Tempora & Personas, rectè instruitur, aut instituitur, & constituitur, συντάττεσθαι rectè dicatur? Multò verò magis, si Casuum, Numerorum, Temporum, Personarumque *terminationes*, pro *adjectionibus significativis* recipimus, (esse autem recipiendas Cap. XV patebit) *manifestissima erit in Declinationibus & Conjugationibus constructio: nempe Thematis cum Terminatione sua.* Syntaxis igitur. Tandem, Etymologia tota theoreticum quid est, præcognita continens: Syntaxis autem tota practicum, sermonis formativum. At *Nominum motio, comparatio, declinatio; Verborum autem conjugatio, nonnê praxis est?* Audiamus quæso, quæcunq; bono usu possumus, ad rationis revocare vias!

Observetur etiam, Prosodiam Orthographiæ præmitti, quia *Loqui, naturâ prius est, quàm scribere.* Illud cum humano genere natum: hoc diu pòst inventum. Notandum quoque, nobis *Orthographiam Prosodiæ conjungi*, ut unam constituant Grammaticæ partem: quia *duo illa, Sermonem proferre Ore, & proferre calamo, in fundamento idem sunt, potest utrumq; quomodo rectè fiat, iisdem Regulis doceri*: cur ergò velimus ταυτολογεῖν? Breviora sic erunt, & clariora, omnia. Accedit, quòd cùm olim definiretur *Grammatica loquendi & scribendi ratio*, posteriores Grammatici posterius hoc, *scribendi*, eliminarunt: *quia Scribi, Sermoni tantùm accidit* (inquiunt) *& in Loquendo includitur.* Si sic, includatur ergò etiam *Orthographia Orthotoniæ*, ut sit eadem ratio partium, quæ totius; eadem definiti, quæ definitionis.

Usur-

Usurpari tamen potest vox generalior, ὀρθοέπεια.

Ad § 8.

Grammatica essetné ars; disputatum est inter Grammaticos. Lis ea hîc dirimitur, constitutâ Grammaticæ parte primâ merè theoreticâ, quam excipiant reliquæ duæ practicæ. Quomodo fieri oportere, ex Didacticæ nostræ § 101 &c patuit.

Annot. Cap. II. § 11.

Novam *Orationis partium* enumerationem necessariò institui, assensum publicum me confido impetraturum. Nimis certè incuriosè factum, quòd Orationis partes octo tantùm illæ Vocum species (*Nomen*, *Pronomen*, *Verbum* &c) hactenùs numeratæ fuerint: quasiverò Phrasis, & Sententia, & Periodus, Orationis partes non sint: aut etiam Syllaba & Litera. Certè *quod pars partis est, etiam est pars totius.* Quomodo ergò Syllaba & Litera, quæ Vocis partes sunt, non etiam Orationis partes erunt, si Voces ipsæ Orationis partes sunt? Nempe *ut Exercitus constat ex Legionibus, Legiones è Vexillationibus, Vexillationes è Turmis seu Centuriis, hæ ex Decuriis, decuriæ demùm è militibus singulis: ita Oratio è Periodis, Periodi è Sententiis* &c. Oscitantiæ cujusdam fuerit, gradationem illam, Lingvis omnibus adeò essentialem, non observasse. Gradatim ire, esse sapienter ire, experiemur hîc quoque, multo discentium profectu: dum *quemadmodum ex guttis subterraneis colliguntur fonticuli; ex fonticulis rivuli ac rivi, è rivis amnes, seu fluvii minores; inde flumina, ex fluminibus lacus, mariaq; minora; tandem ex omnibus Oceanus: ita è literis Syllabas, è syllabis Voces, è Vocibus Phrases, è phrasibus Sententias, è sententiis Periodos, è periodis ipsum Orationis flumen*, colligi, docebimus, & quo modo rectè colligantur ostendemus.

2. Objiciat quis, *Periodicam doctrinam Oratoriæ esse partem, non Grammaticæ.* Respondeo, Grammaticam nostram dici Janualem, quia omnia Januæ recludere debet. At Januæ Textus in Periodos divisus est; explicari igitur Periodorum quoque naturam necesse fuit. Sed hoc minus: majoris est considerationis, quòd Periodica doctrina radices in Grammatica accipere debet omninò, cùm Grammatica Oratoriæ paret viam: ut *ubi Grammaticus desinit, incipiat Orator.* Desinet autem in Periodi rudimentis: hanc igitur doctrinam Oratoria perficiat, expoliat, indeq; ad Chrias & velitationes minores, demùm ad integras Orationes, progrediatur.

3. Nobis quia totius Sermonis structuram ostendere propositum fuit, *Periodi structuram non ostendere non licuit.* Si non alio hîc tam notabili usu, certè saltem *ut quid Grammaticam egressis primò agendum veniat, in conspectu sit.* Existimo enim quomodocunque remedium esse parandum ataxiæ illi, Scholis pervulgatæ, quâ ab exercitijs styli humilioribus, metaphrasticis (quibus alienæ materiæ inhæretur) immediatè ad propriorum compositionem venitur. Sed in cujusmodi materia? grandi, ad quam gradatim nondum deducti sunt. Jubentur enim Orationes ad imitationem priscorum Oratorum componere: consarcinare veriùs. De suo enim nihil adferre possunt, sive res spectes, sive stilum: centones tantùm ex Phraseologijs, Polyantheis, & unde non? conficiunt, mirâ ingeniorum, rerum, stili, torturâ.

4. Causam hujus mali in neglectam Periodorum doctrinam transfert magnus ille *Dornavius*: dum in præfatione libelli sui *de Periodis* ita disserit. *Eloquentiæ initia prima PERIODI sunt, quæ toti compositioni Oratoriæ Veneres quasi & Gratias inspirant. Quotus verò quisq; est, qui non dico has concinnare noverit ex Juventute*

ventute literaria; sed æstimet duntaxat, & ad benè dicendum pertinere arbitretur? Cùm potiùs ex ingenti corona eruditæ plebeculæ multi inveniantur; qui cùm Orationes scripserint haud unas, (bonas an malas); quid pertineat ad Periodum, haud usqquaq didicerunt. Nimirum & Scholæ sunt rarissimæ (NB), in quibus hæc doctrinæ pars ad animum revocetur. Ex quo illud emergit, ut quæ pueri aut adolescentes non didicimus, ætate grandiori discere pudeat. Hæc ille. Et patet certè in doctissimorum etiam scriptis, quàm confusa sint hâc parte omnia.

5. Tentemus igitur vel hôc modo Scholis Periodicam commendare doctrinam, Eloquentiæq; rationabiliùs excolendæ ferre subsidia. Discant nostri proprio cortice nare: discant sermonis rationes ipsimet per omnia intelligere: nè aliunde omnia mutuando imitatores tantùm fiant, servum pecus. Doceamus inquam nostros, ut se quoq; homines esse non immemores, habere se sapientiæ & eloquentiæ fontes in seipsis defossos intelligant: eosdemq; refodere sic discant, ut scateant, saliant, rivulisq; proprijs sese diffundant. Quod poterunt, si rationes rerum à fundamento intelligere, sermonisq; artus & ligamenta omnia, tàm distinctè quàm digitos manûs suæ, ante se videre consvescant. Tum enim demùm & aliena cum voluptate, admiratione, usu, evolvere, & in seipsis venam experiri fluentem, poterunt. *Cui rei speramus nos ejusmodi parasse auxilia, ut totum periodicum artificium per lusum & jocum, aliquot dierum spatio, addisci queat.*

6. *Phrasin* quoq;, seu *Dictionem*, peculiarem constituimus Orationis partem, quia medium quid est inter Vocem & Sententiam. Nam cùm dicis, *Discruciari animo*, nec Vox est, (duæ enim sunt); nec Sententia, (nihil enim affirmat vel negat). Distinctè hæc posuisse, mirã addet Syntaxi lucem: quod per se patebit.

7. Notetur & hoc. Pro voce Græca Φράσις, mallem

mallem Latinâ uti, *Dictio*: de qua Vossius; *Iis qui castè loquuti sunt, Dictio vix aliud quâm Phrasin notat, aut dicendi actum.* Sed quia vulgari Grammaticorum usu *Dictio* pro Voce usurpatur, vitandæ confusionis causâ *Phrasin* retinemus; tametsi & hoc ambiguè dicatur.

Ad § 12.

Observatio hæc (de qualibet Orationis parte jam *simplici*, jam *composita*, jam *contracta*) pulchrum habebit usum per totum Sermonis artificium.

Ad Cap. III. § 14.

Pulchrè Vossius, *Consonas cum Veteribus dispescimus in mutas & semivocales: ut in universum triplices sint Literæ, Vocales, Semivocales, Mutæ; Græcè φωνήεντα, ἡμίφωνα, ἄφωνα. Hujus distributionis imitatione Varroni tria statuuntur genera Instrumentorum rusticorum: Vocale, in quo sunt servi; Semivocale, in quo boves; mutum, in quo plaustra. Vegetio autem tria sunt signorum militarium genera: muta, ut Vexilla; vocalia, quæ humanâ voce proferuntur, ac Tesserarum nomine obtinent; & semivocalia, ut Tuba &c.* Hæc ille, libro I. Cap. XIV. quem in eo sequimur, quòd Literas in Vocales, Semivocales, Mutas, distribuimus. De alijs porrò Literarum divisionibus, hîc non tangendis, rectè idem (Cap. XIX) *Cùm doctrina de liqvidis (literis) intelligi nequeat nisi ab ijs qui degustârint doctrinam de syllabarum quantitate: patet eorum error, qui tenellæ puerorum ingenia obtundunt distributione Consonantium in mutas, & semivocales; & harum divisione in liquidas, duplices, & μονοδικὸν S. Sanè cùm percipi non possit à quoquam, quomodo uda post mutam posita liquescat, h. e vim syllabam producendi amittat, nisi qui didicerit, quid sit*

Positio

Positio debilis: *tota hæc distributio meliùs differtur in Prosodiam*. Ita ergo fit.

Ad § 15. & 17.

Appellatio *Vocalis* & *Bivocalis*, *Consonæ* & *Biconsonæ*, intellectûs facilitati servit. Retineantur ergò: nec tamen vulgatæ illæ, *Diphthongus* & *Consona duplex*, ignorentur. Moneri autem possunt discipuli, antiquos Latinos etiam pluribus fuisse usos Diphthongis, qvum & *ai*, *oi*, *ui*, haberent (Voss. lib. II. Cap. III.) Hodie tamen non pluribus nos uti quàm quinque. Item, apud Gallos, Polonos, Germanos, haberi etiam *triphthongos* (seu *trivocales*, ut in disyllabo Ludoskiey/ Bäumslein &c.) sed Latinis istud ignorari. *Jod* & *Vau* vulgò biconsonis adnumerantur: verùm illas nec esse duplices, nec unquam fieri, clarè ostendit Vossius lib. I. Gram. Cap. XXII.

Ad § 18.

Notetur causa, cur in Lexico Voces incipientes ab I Vocali, separatæ sint à *Jod* Consona; sicuti & incipientes ab U, ab incipientibus à *Vau*. Quia toto genere diversæ literæ sunt, plus quàm B & P; D & T; P & F &c, ab invicem distantes: hîc enim utraque consona. J consonam *Ja*, sicut V consonam *Va*, aut cum Hebræis *Jod* & *Vau* dici debere, Vossius antiquorum testimonijs probat lib. I. Cap. XV. debereque diverso ab I & U vocalibus charactere scribi, his Verbis docet. *Omnis erroris fons caputq; est, quòd I & U vocalis, & consonantis, idem sit nomen, figuraq; eadem: adeò ut eôdem modo scribi soleant VOLUI à Volo, VOLUI à Volvo. Verùm neutiquam dispiciendum, quid factum sit, verùm quid fieri oportuerit.* Et post multa, doctè dissertata, subdit. *Hæc quidem ad flagellandam opinionem vulgarium, de duabus hisce literis, sufficere poterant, certè debebant: verùm quia nullum est pertina-*

cius

cius hominum genus Grammaticis; priusquàm huic velitationi pausam faciam, duas hasce rationes attexendas putavi. Ac primò, situs non tollit formam essentialem; eoq; qua litera est vocalis, consonans fieri non potest ob sequentem in eadem syllaba Vocalem. Præterea species ἀντιδιηρημένα, non possunt esse unum specie, nedum numero. At vocalis & consonans, non minùs literæ sunt species oppositæ, quàm homo & bestia, animalis; albor & nigror, coloris; neque, Prisciano teste, minùs differunt, quàm anima & corpus: quia ut anima movet corpus suum naturâ immobile, ita & vocales quasi movent consonantes; quæ non moventur, nisi beneficio vocalium. Quare cùm consonantes comprehenduntur sub vocalibus, oppositum ponunt in opposito &c. Et lib. II. Cap. III. *Hebræi, & alij populi Orientales, Jod & Vau summo consensu inter Consonas reposuêre. Et ratio hoc valida confirmat, quia sine Vocalium ope pronuntiari non possunt.* Cùm itaq; tam essentialis harum literarum differentia tam supinè vulgò negligatur, tentare visum est, an hâc tam apertâ illarum ab invicem distermination, confusioni remedium inveniri queat.

Notandum tandem: *Ordinem literarum esse triplicem* (1) *Popularem, vulgò usitatum;* (de quo ingeniosè nonnemo, talem esse, ac si quis omnes manu projecisset, & prout quæq; cecidisset, ita illas recolligeret: nulla enim ratio est, cur A primo stet loco, sequatur B, & hanc C, &c &c. (2) *Accuratiorem* per Vocales, semivocales, mutas. (3) *Exquisitum*, secundùm organa quibus literæ efformantur; quem videbimus infrà, Cap. XXI, sub initium Syntaxeos.

Ad Cap. V. § 23.

Vocum secundùm Articulos divisio, fit juxta *arti-*

articulos, minores, majores, maximos. Minimus (hîc) articulus, Syllaba eſt: cujus reſpectu vox dicitur *Monoſyllaba*, *Diſyllaba*, *Polyſyllaba*. Major articulatio, eſt in terminationibus derivatorum: ut ſunt, *-ilis*, *-tus*, *-titius*, *-tor*, *-inus*, *-ultas* &c. Maxima in Vocum coalitione, duarum triumvé in unam; ut *Frugi-fer*; *In-frugi-fer* &c.

Ibidem. (*II*)

Dividuntur Voces in *Primitivas*, *Derivatas*, & *Dubias*: quia in nonnullis haud liquet, ſuæné ſint originis, an factæ aliunde? ut *Ceſpes* (ſeu Cæſpes), *Otium*, *Severus* &c. Sicut & compoſitæ quædam videntur, quæ non ſunt: (ut *Condio*, *Separo*, *Dirimo* &c.) cùm immediatè ex Lingvarum matrice, Hebræa, veniant. Notabis autem, voces quæ aliunde veniunt, Scholarum uſu *Derivativas* dici conſveviſſe: ſed ineptè, obſervantibus errorem poſterioribus, & *Derivatas* rectiùs appellantibus. Deſinamus ergò ineptire, ubicunque non ineptire licet.

Ibidem. (*III*)

Vocibus compoſitis addunt quidam decompoſitas: ut, *In-Con-Stans*. Sed hoc non eſt aliud à compoſito, qvum ſit bis compoſitum: meliùs ergò contractas, ad cæterorum harmoniam (vide § 12.) Contractum enim reverâ diverſum eſt, tàm à ſimplici, quàm à compoſito, inter utrumque medium quid.

Ad Cap. V. § 25.

Reddenda nobis eſt ad Grammaticorum tribunal ratio, cur numerum *Partium Orationis* (ita enim vocant; ſed meliùs cum Voſſio, *Claſſes Vocum*) augeamus

mus, ad denarium usque: *Adnominibus* nempe (quæ vulgò *Adjectiva* vocant, & Nominibus accensent) peculiari attributâ classe; sicut & *Adjectionibus*. Sciendum ergò, nec antehâc semper eundem observatum fuisse partium Orationis numerum. Aristotelis tempore (sub Grammaticæ artis incunabula) tres tantùm fuisse numeratas, *Nomen, Verbum & Copulam*: dein additam quartam, & quintam, & sextam, usque ad octavam, testis est *Quintilianus* lib. I. Cap. VII. *Priscianus* verò *ad duodenarium usq; auctas fuisse Vocum classes*, scribit. Nuperq; rursum *Saturnius* è Supinis distinctam Vocum classem constituere tentavit. Quòd si ergò melioribus observationibus antè fuit locus, distinctionibusq; confusiora cedere jussa sunt: aut etiam ratiunculis à communi via abduci fas erat: quidnî jam etiam, si quid melius solidissimisq; rationibus nixum, observatur? *Deduxit* autem *nos ipsa Rerum harmonia eò, ut ter trinam Vocum classem constitui necesse sit, superaddiq; tandem decimam: si & Rerum Veritati, & Methodi facilitati, consultum volumus.* Nam

1. *Si Nomen est, quod primò Rem significat* (quemadmodum optimi Grammatici, ipseq; Vossius, definiunt) vi definitionis hujus profectò *Adjectivum non erit Nomen*: quia non Rem, sed aliquem rei Modum, primò significat. Nec enim si mille Adjectiva recenseri audiam (*Magnus, albus, dexter, teter, qualis, talis, hesternus*, &c &c) ullam inde rem concipere possum: quia nulla *nominatur*, sed quiddam tantùm *cognominatur*. Quid autem illud sit, non priùs sciero, quàm Nomen aliquod (Substantivum) audiero.

2. *Vossius* contra quosdam, malè Nomen in proprium & appellativum priùs quâm in Substantivum & Adjectivum distribuentes, disputans, Aristotelem allegat, qui τὸ ὂν, primò in id quod per se est, *Substantiam*

tiam; & illud quod in alio eſt, ut *Accidens*, dividit. Si rectè ſic Accidens à Subſtantia, ut diverſa genera conſtituant, diſpeſcitur: *ergò & rectè Nomen Subſtantivum ab Accidentali, ſeu Adjectivo, ſic dividetur*, ut diverſas conſtituant claſſes. Par enim eſt utrobiq; ratio: quia *Verba Rerum teſſeræ ſunt*, & parallelè ſe habent.

3. Subtiliſſimus *Scaliger*, de differentia Nominum diſſertans, ita philoſophatur, ut in hoc, *Vir fortis*, dicat *ſubſtantiæ adjici accidens* (Alſt. Gramm. Univerſ. XI.). Si ſic: ergò, *ut in Logicis Accidens diverſum à Subſtantia conſtituit Entis genus; ita in Grammaticis conſtituere debet diverſum Vocis genus.*

4. Sed per ipſas Gramaticas rationes, confundenda Subſtantivis Adjectiva non eſſe, evinci poteſt. Nempe quô jure Adverbia peculiarem á Verbis claſſem obtinent, eôdem jure ſibì *Adnomina* peculiarem à Nominibus poſcunt. Utraq; enim epitheta ſunt; illa *Verborum*, hæc *Nominum*. Nam quâ ratione dico, *Scribere velociter*; eâdem, *Scriba velox*. Si ergò illa duo (*Scribere*, & *velociter*) non ad unam Vocum claſſem referuntur, ſed quodlibet ſuam peculiarem habet: cur non & hæc duo, *Scriba* & *Velox*? Et quia *Priſcianus teſtatur antiquos æquê Adverbia Verbis, ut Adjectiva Nominibus, annumeraſſe*, appellantes illa *Verborum Adjectiva*; pòſt autem bonâ ratione peculiarem Adverbijs claſſem, à Verbis ſeparatam, dedimus; cur non & *Nominum Adjectivis*? Dices forſan: quia Adverbium cum Verbo non conjugatur, ſicut Adnomen cum Nomine declinatur: (Adverbia quippe manent invariata). *Reſpondeo*, Tantiné hoc eſt, ut Adjectiva peculiari ſuo privilegio exuat? Si quicquid declinabile eſt Nomini accenſeri debet, tum & Pronomina, & Participia, accenſebuntur: quod tamen non fit. Si ergò Pronomini (quum tamen vix aliquot voculæ ſunt) peculiarem damus claſſem, quidnî Adjectivis, quorum

tantus exercitus? Tum, Declinatio Adjectivis non ex rei natura accidit, sed à consvetudine Græcorum, Latinorum, & quorundam nostra. Posse alioqui per solam appositionem usurpari, exemplo linguæ *Anglicæ*, *Hungaricæ*, *Turcicæ*, patet: quæ *Adnomina sua prorsùs ita Nominibus, sicut nos Adverbia Verbis* (sine numero, sine genere, sine casu) adjiciunt, nec inde incommodi aliquid.

5. Accedit, quòd *ut simile officium, ita similes ferè differentias, seu classes, cum Adverbijs habeat Adnomina, non autem Nomina*, ut ex Cap VII. & XI. patebit. Stent igitur similia similiter, suo quæq; loco, evidentiæ causâ.

6. Movit Priscianus quæstionem (recensente Vossio lib. de Anal. III. Cap. II.) *Quamobrem cùm Nominativæ interrogationes fieri soleant per Nomina*, (*Qualis? Quantus? Quotus? Uter* &c) *non etiam verbales fiant per Verba, sed per Adverbia? Ubi? Unde? Quò? Quâ? Quando?* &c.) Nempe definet hæc jam confusio, si ut *de Verbis per Adverbia* quærimus & respondemus; ita *de Nominibus per Adnomina* quæri & responderi pateat. Evanescetq; simul ille scrupulus qui magnum Vossium torsit, Voculasq; *Alius*, *Alter*, *Cæterus*, *Reliquus* &c. Pronominum relativorum classi accensere coegit. Prorsùs *ad harmoniam faciet, sic aperte à Nominibus distigui Adnomina*.

7. *Sed & ad faciliorem Grammaticæ praxin.* Habent quippe Adnomina peculiaria sua, à Nominibus penitus diversa, accidentia: quæ si peculiariter tractabuntur, lux accedet methodo, aliquotq: obscuræ & pueris salebrosæ divisiones & distinctiones compendi fieri poterunt. (Cujusmodi est ineptissima illa: *Adjectivum est, cui apponi potest* Mann / Weib / Ding: *Substantivum, cui apponi non potest* Mann / Weib / Ding: & similes.)

8. In-

8. *Inprimis autem propter Syntaxin.* Convenire enim inter omnes puto, *Vocum in Etymologia divisiones institui, ut Syntacticæ Regulæ condi queant.* At quis ullamin Syntaxi Regulam de Nomine generatim vidit? Annon omnes vel de Substantivis, vel de Adjectivis seorsim, sonant? nempe quia res essentiâ diversæ sunt. *Quod ergò in Syntaxi distingvi necesse est, distingvamus jam in Etymologia:* cùm in artibus omnia habere præstet distincta, quàm confusa; & distincta semel, quàm distingvenda semper.

9. Tandem *quia in quacunq; tradenda disciplina ad totam scientiarum Encyclopædiam habendus est respectus, nè aliquid uno loco ponatur, quod alibi afferre possit remoram;* meritò etiam è Grammatica, Scientiarum Janua, obices ejusmodi tollendi sunt, atque inter alios hæc ipsa Nominis Substantivi & Adjectivi appellatio. Qvæ si toleratur, *Metaphysicæ* pòst discipulo offendiculum pariet. Nempe etiam *Tempus*, *Duratio*, *Ætas*, *Numerus*, *Pondus*, *Albedo*, *Motus*, &c; item *Claudicatio*, *Cæcitas*, &c. *Substantiva nomina* sunt Grammaticè: cùm tamen res nominibus illis designatæ non *substantiæ*, sed *accidentia*, imò quædam illarum *defectus*, sint. Quod puerilem captum ó quam facilè turbare potest! Ne igitur tricas objiciamus ingenijs, aut scientes volentes relinquamus, danda est opera. Hoc si cui exile videtur, mihi non est, scutumq; mihi facio sapiens illud Vossij lib. I. Cap. III. *Hæc de classium singularum definitione: qua nimis fortasse anxiè conscribillasse videbimur Philosophiæ ignaris. Verùm cogitent, Varronem quoq; scribere, se suos in re Grammatica libros non modò ad Aristophanis, hoc est, Grammatici; sed & Cleanthis, hoc est Philosophi, lucernam elucubrasse. Et Julius Scaliger Quintilianum non immeritò reprehendit, quòd Grammaticam fingat è quadrivio, extra Encyclopædiam.*

Adjectivi tamen appellationem teneant quoque pueri, nè quæ vulgò nota sunt, ignorent. Eô enim solùm his nostris collimamus, ut prima impressio sit facilior, & ad usum accommodatior. Hâc peractâ, nomenclatura diversa incommodare nihil poterit.

Patet ergò, non temerè novam *Adnominum* classem constitui: sicut & *Adjectionum*, ut mox patebit. Imò quia Grœci peculiarem orationis partem faciunt *Articulum* (quos imitari necesse habent Germani), illorum Grammatica unâ Vocum classe erit auctior.

Ad § 32.

Præmittunt Grammatici quidam Conjunctionem Præpositioni: haud rectè. Quia Præpositiones junguntur Vocibus singulis, Conjunctio binas copulat. Eoq; *Præpositio servit Phrasi, Conjunctio Sententiæ, & quidem compositæ.* Prius autem quid est Phrasis, & simplicius, quàm Sententia.

Ad § 35.

De Adjectionibus nihil à Grammaticis hactenus traditum, miror. *Priscianus* observavit quatuor duntaxat, *Met*, *Ce*, *pte*, *te*, annumeravitq; *Adverbijs.* *Matthias Martinius Pronomina* inseparabilia esse putat (in Lexico suo ad *Met*). At quomodo *Adverbia* sunt, quæ non Verbis, sed Pronominibus ferè, adjiciuntur? Quomodo *Pronomina*, quæ numero, personâ, casu, declinatione, carent? Alij simpliciter *Adjectiones Syllabicas* vocant, & quinque numerant, *Met*, *Te*, *Pte*, *Ce*, *Cine*. Vossius *Positiones loquelares* appellans, alias septem addit, *Pse*, *Pi..m*, *Dem*, *Dam*, *Quæ*, *Quam*, *Cunque*: illis hoc unum officij, ut *cum Pronominibus componantur*, tribuens. At verò etiam cum Adverbijs componuntur: ut *Ibidem*, *Ubiq;*, *Ubicunq;*, *Usquam*, *Quondam* &c.

Imò

Imò cum Nominibus: ut. *Reapse. Nos igitur peculiarem illis damus classem. Tam paucis?* inquiet aliquis. *Resp.* Nec multò plura sunt pronomina: imò pauciora. Revera enim nonnisi quatuor sunt (ut pòst videbimus), & tamen habent classem suam: quidni ergo 15 Adjectiones?

Obj. Sed particulas istas nihil per se significare dixisti: Non igitur in Vocum censu ponendæ. (Vox quippe est, quæ aliquid significat.) *Resp.* Non significant per se, significant adjectæ: sicut nec Præpositiones (præsertim inseparabiles, quas vocant, *Di*, *Dis*, *Re*, *Se*, *Am*, *Con*; & Germanorum, Be/Ent/Ver/Zer/Miß.) significant per se, præjunctæ tamen significant. Nec apud Arithmeticos o per se aliquid significat: an ideò è Cifrarum exterminanda numero? Quamvis enim non significat sola seorsim, addita tamen Cifris significationem validè auget. *Habeantur ergò Adjectiones nostræ* vel *pro Arithmeticorum Nulla:* post novem tamen *Cifras* (novem Vocum genera) locum illis invideat nemo. Non frustrà hîc erunt, locis suis officium facturæ omninò; & quidem utiliter valdè. Præsertim si Adjectionibus derivatarum Vocum Terminationes *-alis*, *-ilis*, *-undus*, *-bundus*, *-tor*, *-trix* &c. annumeramus. Debemus autem, quia omnes illæ *thematibus suis adjectæ* significant: Vocumque, & sic sermonis, partes sunt. Ex. gr. Vocis Germanicæ Un-be-greif-lich: annon quælibet Syllaba, æquè ultima atq; prima, secunda, tertia vocis suæ pars est? annon æquè aliquid significat? Utiq;: alias frustra esset. *Sunt igitur omnes ejusmodi adjectiones significativæ: Voces igitur: Sermonis partes igitur: non exturbandæ igitur è comitijs Civitatis Latinæ: & quia distinctum quid ab omnibus cæteris Vocum classibus obtinent, classe peculiari donandæ igitur.* Quæ & causa est, cur

cur nos Terminationes Vocum derivatarum omnes suis locis digerendas, & quomodo vernaculè exponendæ sint, docendum, existimavimus: nempe in Syntaxi derivationum & flexionum. *Primùm*, ut nè quid omnium, quæ ad integritatem Linguæ pertinent, desideretur. *Secundò*, quia discipulos de omnibus, quæ non ignorari opus est, moneri opus est; nimiùm diligentes hîc esse non possumus.

Ad § 36.

Attendant Inventutis formatores. *Posse has decem Vocum classes alio etiam modo, & breviùs forsan, discipulis ostendi*, ut capiant, sic.

1. Primò sunt *Res*, & nominantur; (hinc rerum *Nomina*.)
2. Tum sunt *tales vel tales*, & adnominantur; (hinc *Adnomina*.)
3. Quas *si nominare nolo, ostendo: Hoc, Illud* &c: (*Pronomina*.)
4. Tum *agunt aut patiuntur aliquid*: (quod exprimunt *Verba*.)
5. Et *agunt taliter vel taliter*: (quod declarant *Adverbia*.)
6. Sed interdum *agens cum actione sua*, (aut patiens cum passione sua) nominatur: (& hoc est *Participium*.)
7. Si exprimimus *rem cum sua circumstantia* (fit hoc per *Præpositiones*.)
8. Res autem rei, aut actio actioni, aut circumstantia circumstantiæ, *copulatur* (per *Conjunctiones*.)
9. Sed aliquando unicâ voculâ animi motum prodimus: (& hæc est *Interjectio*.)

10. Aut

10. Aut adjectione syllabicâ vocem exacuimus: (dicitur *Adjectio.*)

Si autem profundiores, ex ipsa reali Philosophia petitas, attendamus rationes, sic habendum est. *Vocum classibus necesse est repræsentari Rerum classes.* Rerum verò accuratior scala *Entis* habet *divisionem in Substantiam, Accidens, & Defectum.*

Ergò &

Scala Vocum habeat Voces

- *Substantiales* (significativas)
  - *Nomen*
  - *Verbū,*
  - *Præpositionē.*
  - Quippe sine quibus nullum ferè sensum absolvere licet: & è quibus potissimùm reliqva Vocabulorum multitudo, & Linguæ substantia, surgit.
- *Accidentales* (adsignificativas): illas autem
  - explicativas.
    - Nominis, *Adnomen,*
    - Verbi, *Adverbium,*
    - Sentētiæ, *Conjunctio,* (Hæc enim sententiarum ad invicem respectum, eoq; sensuum vim veram, detegit)
  - expletivas (seu vicarias)
    - Nominis, *Pronomen,*
    - Verbi, *Participium.*
    - Sententiæ integræ, *Interjectio.*
- Defectivam, *Adjectionem.* (Hæc enim sola stans nihil unquam significat.)

Ad. §. 39. Obs. 1.

Appellativum nomen Vossio quoq; non placet, quia de proprijs etiam dicimus, Res ijs appellari: *nec proprio*

proprio aliud opponatur, quàm commune. Loquamur ergò distinctè, dum possumus, nè vel Res, vel rerum Appellationes, confundamus, aut illæ nos.

Ad. § 41.

Adnominum differentiæ non uno modo recensentur à Grammaticis. Nobis respectum ad Res observare, observandumq; docere, visum. Placuitq; quòd Alstedius *Adverbia juxta Prædicamentorum classes digeri* svadet, memoriæ causâ. Si *Adverbia*: quidni priùs *Adnomina?* cùm similiter habeant.

Ad § 45.

Propriè loquendo *Pronomina non sunt nisi quatuor*, fatente Vossio, *Ego, Tu, Sui, Quid.* Aut si quintum addere placet, *Quis*, Wer. Reliqua sunt Adnomina pronominalia. Ut enim à nomine *Pater*, fit adnomen *Patrius*; sic à pronomine *Ego mei*, *fit Meus*; *à Tu tui*, *Tuus*; *à sui*, *Suus*; *à Nos*, *Noster*; *à Vos*, *Vester*. *A Quis, quæ, quid*, fit *Is*, *ea*, *id*, &c.

Redegimus verò Pronomina in contextum, discentium causâ: quorum intellectum & memoriam sermo ita (sine Nominibus) structus juvare potest, quia titillare potest. Quæ Clariss. Vossius Pronominibus accenseat, innuimus ibidem: rationibus tamen ipsius (quas habet I de Analogia, Cap. II.) accedere non possumus. Certè si *Unus* Pronomen est, quidnî & *Duo, Tres, Centum, Mille?* Si *Solus*, & *Aliquis*; quidnî & *Omnes, Cuncti, Pleriq., Rari, Multi* &c.

Ad § 49 & 50.

Helvicus in Grammatica sua Universali, postquam cum Grammaticorum vulgo dixisset, *Verbum est duplex, Activum & Passivum*: addit notam, *Præter hæc sunt Verba Essentialia dicta, quæ significant Esse.* (pag. 8.)

Si sunt

Si sunt, doceantur ergò esse, & habeant classem propriam, ut à confusione liberata sint omnia. Rectè igitur, & quod vehementer oblectavit, Vossius: *Verbum est dictio variabilis, quæ agere, pati, vel esse, significat.* Sed *Essentialia Activis & Passivis* præmitti, ordo Rerum, meliorisq; doctrinæ, requirit. Nempe quia rerum Actiones fluunt ab Essentia, sicut Passiones ab Actione. Tandē Verbum substantivum, SUM, in omnibus lingvis Conjugationum clavis est. Primo igitur stet loco: tametsi cætera illi sociata (*Duro*, *Maneo*, & cætera essentiam vel existentiam significantia) flexionis ratione ad formam Activorum spectent.

Ad § 51.

Verba quædam dici *Neutra*, discipulos obiter monemus, appellare sic non docemus; confusionis vitandæ gratiâ. Neutrius enim appellatione pueri differentiam generum signari, jam (in Grammaticæ Vestibulo) didicerunt: cur eundem terminum in re longè dissimillima usurpando, eosdem turbemus? Sed nec per ipsam rem sic loqui licet. *Genus Neutrum* rectè dicitur, *quod nec Masculinum est, nec Fœmininum. Verbum Neutrum* dicere, *quod nec Activum sit, nec Passivum*, non possum, nisi forsan id de Verbo substantivo *SUM*, & similibus, quæ *esse* aliquid significant (non *agere*, aut *pati*) intelligatur. *At non hoc intelligunt, qui Neutra Verba vocant.* Intelligunt enim Verba Activa, quæ actionem intransitivam significant, *Sto*, *Sedeo*, *Curro* &c. Ergò tamen actionem: ergò tamen Activa sunt, non Neutra, hoc est, nec Activa nec Passiva. Monuit hoc idem Vossius, dum Libro III. de Analogia, Cap. III. scripsit: *Fortasse nulla sunt Verba, quæ verè Neutra dixeris, vel saltem non alia, quàm quæ* ὕπαρξιν *(consistentiam) notant.* Rectè proinde puriores Gram-

matici *Noutrorum* Verborum appellationem rejicere, *Absolutorum* substituere, cœperunt. Verùm, quia non tantùm *Activa absoluta*, h. e. sine casu dantur, sed & Passiva: commodius, & ad differentias Verborum dextrè percipiēdū facilius, fuerit, *Transitivo-Activa*, & *Intransitivo Activa*; *Transitivo-Passiva*, & *Intransitivo-Passiva*, dici.

Ad § 60 & 61.

Si philosophari velimus, *Præpositiones Verbis propriè serviunt, non Nominibus, tametsi Nominibus jungantur*: quippe tùm etiam actionis, aut passionis, aut existentiæ, respectum inferunt. Ut: *Ex* Urbe, *per* Portam, *in* Campum, IRE. Ecce præpositiones *itionem* respiciunt! adjuncta Præpositionibus Nomina *itionis* illius *circumstantias* tantùm determinant, *unde*, *quâ*, *quò*, eatur. Hinc est, quòd sæpè non Nomini sed Verbo junguntur; ut *Exireportâ* (pro ire ex Porta); *Transireportam* (Ire trans portam) &c. Interim tamen *divisio Præpositionum in Nominales & Verbales Grammaticè bona est, & necessaria est.*

Ad § 68 & 69.

Omnes has particulas, sermonis veluti vincula & fibulas, rectè dici *Conjunctiones*, non est cur quis dubitet, tametsi quædam illarum mox *Copulativæ*, aliæ *Disjunctivæ*, dicantur. Licèt enim quædam illarum Res copulent, aliæ disjungant (ut in appositis exemplis patet); *Verba tamen in sententiam contexenda omnes copulant.*

Ad § 75.

Adjectiones etiam in rationabilem Contextum reducere placuit, ut non esse omninò ἀσημαντικὰς meliùs pateret.

Ad

Ad Cap. XXI. § 107. &c

Indivisibilium sonorum formaturam, prout oris organo fit, scio esse Physicum quid, non Grammaticum: & tamen *in Grammatica tradendum arbitror. Primùm* ideò, quia non traditur alibi: cùm tamen hæc prima Sermonis incunabula nosse, jucundum sit. *Deinde*, quia hoc ipsum ad observandum Literas symbolicas (quæ cùm eodem organo fiant, facilè in se invicem, in Vocum derivatione & alibi, transeunt) utile. *Deniq;*, quia ad Literarum pronunciationem veram (contra insolitas Gentium diversi labij corruptelas) faciliùs ostendendam, necessarium: quod in Prosodia patebit. Nec est, cur quis ista pueris perceptu putet difficilia: nihil faciliùs capient, Oris & lingvæ configurationem, in singulis Literis benè monstratam, attendere & imitari jussi.

Ad § 115.

Quòd Semivocales, *L* & *R*, Bohemi quibusdam in Vocibus sine Vocali scribant (nempe ubi Vocalis clarè audiri non debet, sed furtim tanquam Hebræorum scheva), monstrosum id quibusdam videtur, cùm non sit. Nam eandem pronuntiationem aliæ quoq; Lingvæ habent, tametsi non scriptionem. Certè non aliter Germani suum Brudr / quàm Bohemi suum Bratr / (quantum ad posteriorem syllabam) pronunciant: nec aliter Angli suum Sirst / quàm Bohemi suum prst. Bohemi autem quod clarè pronunciari non debet, ne scribunt quidem: quod idem imitari Svevos, ex promtuario Germanico-Latino Schönslederi (Augustæ Vindelicorum Anno 1618. edito) videre est: ubi Aichl/ Aichapfl/ Aichen-Mistl/ Eitl/ Vogl/ Wackl/ &c. scriptum legitur. Id

 si non

si non adeò absurdè cum l/ quid prohibet eodem modo scribi r? Brudr/ Gevattr/ Kupffr? Apud Latinos syllaba sine vocali, cum sola semivocali, non reperitur, præter *St*.

Ad § 119. & 120.

Non Orthographiæ nunc docemus accurationem, sed syllabizationis facilitatem. Quanquam & scriptionem ita fieri optat Scaliger, & alij, quos suo loco allegabimus.

Ad Cap. XXIII inscriptionem.

Si receptos Grammaticorum retinere vellemus terminos omnes, inscribi debuisset Caput hoc, de Vocum *Specie, Figura* & *Variatione*. Verùm quia *Species* & *Figura* valdè ambiguè, ideoq; obscurè, dicuntur, distinctiùs loqui, usitatosq; Lexicis *Derivandi & Componendi* terminos hîc etiam retinere, maluimus.

Ad § 125.

Numerus communis est istis quinq; Vocum classibus omnibus ex æquo: *Genus* potissimùm obtinet in Nomine, Adnomine, Pronomine, & Participio: *Persona* in Verbis. Interim tamen *Personam habent apertè Pronomina, occultè Nomina*. (Quod qui negant, acutè refelluntur à Vossio lib. I. de Anal. Cap. VIII. Et fatentur inviti ipsimet, in Regula de *Nominativi cum Verbo suo in numero & persona convenientia*). Genus autem in Verbis habent Hebræi, alijq; Orientales; sicut & Slavi, suis Verborum præteritis sexum exprimentes; necnon Latini in Deponentium præteritis. Insistentes igitur nos universalis Grammaticæ fundamentis

mentis, Generis doctrinam hîc ordimur, ad Nomen non rejicimus.

Ad § 155.

Mirum est, & valdè laudabile, quòd Angli in illa sua nuper nata Lingva ad priscam simplicitatem, naturæq; legem, reversi, de Personis tantùm, & Animalibus, masculinè & fœmininè, de Rebus autem semper neutraliter, loqvuntur. Si obtineri idem alijs in Lingvis posset, tantò faciliores haberemus! sed frustra id sperare est. Discendæ sunt inveteratæ Lingvæ, quales habentur.

Ad § 159.

Lexicographi hactenus Nomina *generis communis* vocârunt, quæcunq; bino genere usurpantur: sive Personarum, quibus per naturam uterque sexus convenit (ut, *Conjux, Civis* &c); sive Rerum, quarum nomina apud Authores diverso genere usurpata reperiuntur (ut *Scrobs, Tradux* &c). Nos distingvimus inter *genus Commune*, & *Dubium*: ut nihil confusum, quantum potest, relinquatur, & discentium oculis objiciatur.

Ad § 161.

De Nominum Genere tractatur hôc Capite compendiosiùs quàm vulgò; & tamen prolixiùs fortè quàm discentibus volupe sit. Ubi rectè monet Vossius; *Generis discrimen tantùm propter Adjectivi & Substantivi discrimen, eóq; sermonis structuram, inquiri. Nam si nulla essent Adjectiva* (inquit), *vel ea semper essent unius terminationis (in singulari & plurali), inanis ac superflua esset omnis hæc de Generibus disputatio* (Lib. III. Cap. IX.) Nempe si aptota essent Adjectiva (uti sunt

Anglis

Anglis, *Ungaris*, *Turcis*), compendifieri poſſet tota hæc, tam intricata, generum doctrina.

Ad §. 167.

Regulas *de genere Nominum*, quatenus *ex Terminatione* cognoſcitur, abſurdè, & cum diſpendio temporis & laboris, Declinationibus præmitti, ſolidâ ratione demonſtravit Voſſius libro I. de Anal. Cap. XIX. *Cur Drachma ſit fœmininum* (inquit), *Dragma*, *aut Dogma*, *neutrum*, *licet utrumq́; ſit Græcum in M A exiens: non alia eſt ratio*, *quàm quòd illud eſt primæ*, *hoc tertiæ Declinationis. Et cur Epitome femininum*, *Mare neutrum? Nempe Declinationis id facit diverſitas.* *Cur* Tiaras & lampas, cur Gurges & Species, cur item Arcus & Decus, non ſunt ejusdem generis? nempe ipſimet in regulis ſuis cauſſam in diverſa ponunt Declinatione. *Nec hoc in ÿs tantùm locum habet*, *quorum obliqui diverſimodè exeunt: ſed etiam*, *quæ ad nullam è quinq́; Declinationibus referri poſſunt. Nam unde cognoſcimus*, Fas, nefas, hir, pondo, gummi, ſinapi, git, frit, *aliaq́; nonnulla*, *terminatione Diſcrepantia*, *ejusdem*, *neutri nempe*, *generis eſſe*, *quàm hôc ipſo*, *quòd* ἄκλιτα (indeclinabilia) *ſunt? Quare lolio cum vivere neceſſe eſt*, *qui nondum videt*, *quæ ſpeciatim* (è cujuſque Nominis terminatione) *de Genere præcipiuntur*, *haut rectè declinationibus præmitti.*

Ad § 171 & 172.

Caſus in Grammatica cum Logicis notionibus conferri debere, rectè monuit Scaliger: nempe cum Cauſis rerum. Nam quia *Verba Rerum fieri ſignificant: effecta verò habent* ſuas cauſas, rectè *Efficienti* reſpondet *Nominativus*; *Fini*, *Dativus*; *Materiæ*, *Accuſativus*; *Formæ*, *Ablativus* (modum enim actionis per

Abla-

Ablativum exprimimus, ficut & Inſtrumentum, quô rei cuiq; ſua forma imprimitur); *Subjecti* autem *vice*, quod actioni ubique ſubſternitur, *Genitivus* eſt, cujus quid ſit oſtendens. Atq; *hi ſunt velut neceſſarij caſus omnibus linguis:* ſive eos terminationibus ſuffixis exprimunt, ut *Græci*, *Latini*, *Slavi* &c; ſive præfixis, ut *Hebræi*, & ferè *Germani*. Et ſive diſtinctis totidem terminationibus habeant, ut Latini & Slavi; ſive aliquæ terminationes coincidant, ut *Græcis & Germanis Dativus & Iſtrumentalis* perpetuò, Latinis item plurali numero, per omnes Declinationes. Quod *Vocativum* attinet, ille *additamentum eſt Nominativi*, in Verbis ſecundæ perſonæ uſurpandus loco Nominativi. Germanica certe nuſquam: Latina tantùm in ſecunda Declinatione, nec ibi omnibus: Græca tamen & Slavica ubique ferè propriam Vocativi terminationem habet.

Cæterùm, *cur Vocativum immediatè ſubjungamus Nominativo*, reddenda hîc eſt ratio. *Primò*, quia duo illi ubique ſimiles ſunt (apud Latinos: exceptis quibuſdam ſecundæ Declinationis, in—*US* terminatis: Germanis verò ſine exceptione), eôque ab Omnibus Grammaticis *recti* vocantur; reliqui omnes *obliqui*. Si ita, ſimul ergò ſtent recti, ſimul obliqui: eâ lege, quâ omnia ſimilia ſub ſimiles reduci claſſes omnis ſvadet ratio. *Secundò*, Orationis ſtructuram ordiri, non ſolet niſi Nominativus, aut Vocativus: reliqui caſus vel ab ijsdem, vel â ſequenti demum Verbo, pendent. Gaudeat itaque prærogativâ ſuâ æquè uterque. *Tertiò*, in ipſa quoque ſeparata Nominis declinatione (ut in Paradigmatibus pingi ſolent) â Genitivo ſingulari incipit omnium reliquorum Caſuum fluxus: qui turbatur, ſi Vocativus demùm Accuſativo & Ablativo interſeritur: fluit autem rectè, ſi rectus uterque præmittitur. Ut videre eſt in *Supelle-x,-x,-ctilis,-ctili,-ctilem,*

lem,-ctile: —ctiles,-ctiles,-ctilium,-ctilibus,-ctiles,-cti-tibus. Viderunt id pridem, & monuerunt, oculatiores, sed obsistere maiè inolitæ consvetudini nemo ausus, ante Illustriss. Mauritium Hassiæ Landgravium, qui Scholis provinciarum suarum naturalem hunc ordinem præscripserat. Nos quorum requisivimus sententiam, parendum rationi & didacticis legibus, restituendumque ordinem naturæ, existimârunt: ut quicquid explanatius haberi potest, habeatur.

Da appellatione Casûs Genitivi.

Genitivum antiquis *Possessivum* quoq; fuisse appellatum, Prisciano teste constat. Quæ appellatio cùm longè aptior sit, omnesque Lingvæ per hunc casum possessionem exprimant; adeoq; ipsa Possessiva Adnomina in hunc se resolvant (quid enim est *Priameium regnum*, nisi *Priami regnum?* inquit Priscianus), usu recipi nomen hoc optandum est: nè omnia quæ temerè irrepserunt, superstitiosè tolerando, scientes volentes cruces & tricas relinqvamus.

De Accusativi appellatione.

Accusativi Casûs appellatio perquàm inepta est, quippe à nimis particulari officio (ex forensi usu, ubi homines causas tractando seipsos accusare, vel excusare, solent) desumta. At verò si id causæ satis, æquè aptè posuissent *Excusativum*, vel *Citativum*, vel *Condemnativum*, vel *Absolutivum*, vel *Exseqvutivum* &c dicere. Quantò meliùs *Auditivum*, vel *Visivum*, vel *Attrectativum*, aut quôcunque actionem generalem, & ad res plures, quàm Accusatio est, sese extendentem, significante modo, dixissent! *Nobis ACTIVI appellatio placet. Primùm, quia* generalitate suâ totum hujus Casûs officium, quâquâ patet, exhaurit: eoq; *omni Verbo A-*

bo activo objectum suum associandum innuit. Secundò, quia vernaculè ad literam reddi potest, Wirck-endung. *Tertiò*, quia antiquæ illi appellationi assonat, leniterq; in hanc molliorem & meliorem commutari (per syncopen) potest, si non contraire fuerit visum rationi. Quia tamen adsvetis desvescere non facile est, usurpamus tantisper *Accusativi* & *Activi* appellationes promiscuè: donec determinare hoc Viris doctis libuerit, aut determinaverit ipse rationabilis usus.

De Ablativi appellatione.

Ablativus Casus rectiùs Instrumentalis dicitur: tùm, quia non omnes Lingvæ per hunc auferunt, (Germani certè per Dativum; Græci & Slavi per Genitivum:) tùm, quia apud Latinos quoq; hujus ipsius Casûs præcipua vis non in eo est, quòd Præpositioni AB, & SINE, serviat, (servit enim etiam præpositioni CUM: an ideò *Conjunctivum* quoque dicemus?) sed in eo, quòd sine Præpositione usurpatus, *Instrumentum actionis* designat. Hinc in Syntaxi (cui tota Etymologia deservit) *Ablativum instrumenti* dicere necesse habuerunt: quâ circumscriptione nihil opus esset, si à genuino primarioq; usu Casus hic denominatus fuisset *Instrumentivus*, seu *Instrumentalis*. Fieretq; tandem hîc etiam parallelismi gratificatio illis Lingvis, quæ instrumento exprimendo peculiarem casum, huic Latino propriè respondentem, per omnes omnium suorum Nominum Declinationes, habent; ut Poloni & Bohemi, & si quæ aliæ Lingvæ. Nos autem, quantum summè datur, omnia constitui optamus parallela, & harmonica, ad communes, certos, blandos, expeditosq; usus.

Ad § 176.

Tres primas Latinorum Declinationes è tribus

 Græcis

Græcis esse ortas, terminationes singularum ostendunt:

Φιλία	*a,*	Κύριος	*us*	Πατὴρ	*er*
α	*a*	ε	*e*	ερ	*er*
ας	*æ*	ου	*i*	ερος	*ris*
ᾳ	*æ*	ῳ	*o*	ερι	*ri*
αν	*am*	ον	*um*	ερα	*rem*

Nec immeritò quartam & quintam è tertia enatas, illiusq; anomalias esse, dici potest; quippe quæ ad illam facilè reduci (inserto Casibus aliquot (i), aut aliâ levi mutatione) possunt. Nam quatuor tantùm casus variant, idq; per crasin: Genitivo *Fructûs* (pro-*uis*) Accus.-*um* (pro-*eum*); Ablat. -*û* (pro-*ue*); Nom. & Accus. Plur. -*ûs* (pro -*ues*). Sic in quinta, *Res, Rei* (pro *Reis*) *Re*, (pro *Ree*), *Rerum* (pro *Reûm*), *Rebus* (pro *Reibus*). Ideò in istis contractis casibus ubique longa fit syllaba, quemadmodum in crasi fieri necesse est. Sed hæc discipulos in præsens moneri, nescio an expediat: nè tardiores scrupulos concipiant, & turbentur.

Ad § 184.

Cùm prolixas & operosas Grammaticorum *de Nominum generibus, & Genitivi* (tertiæ Declinationis) *formatione præceptiones* reducere ad compendia frustrà tentaremus, visum fuit ab arenis illis in fasces colligendis abstinere, nodosq; illos Lexico relinqvere solvendos: non tam chartæ, quàm ingenijs, parcendo. (Nam tot acervatæ de re tantilla Regulæ, & quarum propemodum singulæ novis scatent Exceptionibus, cui non nauseam moveant? Et quia nos confirmatiores, si quando hîc dubium incidit, ad Lexica potiùs quàm ad istas Regulas, confugimus: cur ergò discipulis eadem invi-

deamus

deamus compendia?) Dedimus igitur potiùs operam, ut difficiliores Genitivorum (hujus Declinationis) formationes ipsi Januæ Textui (aut etiam Lexicali textui) incorporaremus, talibus non in Nominativo (qui in Lexico exstabant), sed in quocunque Obliquo, quos à Genitivo fluere notum est, positis. Nihilominùs tamē tandem hîc etiam apposuimus generales illas observationes, nè quis defectum quiritari possit: sed subjectas (velut appendicem) paragrapho 184. & inclusas parenthesi, exscriptasq; typo minimo, ut transiliri posse, nullo adeò discentium damno, pateat.

Ad § 203. & 204.

Vulgaris Regula habet. *Composita ex duobus rectis* (scil. casibus): item *composita ex recto & obliquo.* Generaliter nimis. Recti n. duo sunt, obliqui quatuor; nec tamen omnes hi aut illi veniunt in compositionem, sed tantùm ibi Nominativus, hîc Genitivus aut Ablativus. Loqui malo distinctiùs, ut intelligantur omnia meliùs.

Ad § 205.

Etiam compositum Nomen faciunt è duobus Genitivis: ut, *Cujus—modi*, *Hujus—modi*: pro, ein Solcher. Quasiverò compositum sit, si Germanicè dicas: Solcher gattung / dieser Art / &c; aut Latinè, *alterius modi*, *diversi modi*, *dissimilis rationis*, *variæ formæ* &c.

Ad § 216.

Cantillatur in Scholis Grammaticis versiculus Tolle *me mi*, *mu*, *mis*, si declinare Domum vis: h. e. ne, dicas *Dome*, *Domi*, *Domu*, *Domis*. Sensus est: *Domus*

est secundæ Declinationis, exceptis quatuor casibus. Nobis visum, simplicius esse duos excipi, quàm quatuor: h. e. transferrî nomen hoc ad quartam, excepto Ablativo singulari, & Accusativo plurali.

Ad § 297.

Desiderativa venire à Supino cujusque Verbi, Grammatici hactenùs docuerunt: neque nos mutamus. *Pulchrè tamen Jul. Scaliger*, (quia verba hæc actionem desideratam, h. e. futuram, designant) descendere cogitavit à Participio futuro, *Scripturus*, *Lecturus* &c,) ut *Lecturio* sit, lecturus sum avidè). Sola obstat syllabæ quantitas, quòd *u* penultimum in participio longum est, *Scriptúrus*, *Lectúrus*; in Verbo autem breve, *Scripturit*, *Lecturit.* Moneri tamen id possunt discipuli, cum delectatione & usu.

Ad § 311. Obs. 1. & 2.

Infinitivum esse Modum, negat Scaliger, & subscribit Vossius: eô quòd numeris destituatur & personis. Sed hoc duntaxat, *non esse modum finitum*, arguit. Modus ergò tamen: quia contrà distinctæ species de generis nomine participant. Et certè, quicquid est, & dicitur, aliquomodo est, & dicitur: etiam *Currere*, *Stare*, *Loqui* &c, aliquomodo est. & dicitur. Quô autem modo? Indefinito, qui actionem quidem exprimat, sine persona tamen & numero. Hoc si nolunt esse Modum, *neque Nominativus erit Casus:* & sic non sex Latinis erunt, sed quinque. Sed sic argutari quem habebit usum? *Est modus in rebus* &c. Hoc malui observationi commendare: *Infinitivum, Imperativum, Indicativum; esse modos communes omnibus Lingvis* (nec enim ullo illorum ullam Lingvam carere posse puto): *Conjunctivum*

Vum peculiari terminatione usurpari à Græcis, Latinis, Germanis: (Græci, quâdam lingvæ luxuriâ *Optativum* etiam introduxêre): sed Orientales, & apud nos *Slavi, Hungari, Angli, Indicativum subjungunt*, nec inde incommodi aliquid. Possunt ergò moneri discipuli, essentiales Verbi modos, omni Lingvæ necessarios, esse tantùm tres priores: *Conjunctivum* elegantiæ servire. Item, *in sententiis simplicibus nullum ejus esse usum* (nisi per ellipsin), *sed in connectendis Sententiis:* cùm duæ aut plures sententiæ ad invicem se referunt, ut meliùs ab invicem discernantur.

Ad § *312, 314, 315.*

Gerundia & Supina Verbané an Nomina, vel saltem Participia essent, pugnatum est inter Grammaticorum principes tot seculis. Vossius tandem evicisse videtur non Verba esse, neque Participia, sed Nomina: Lib. III. de Anal. Cap. IX, X, XI, XII. *Gerundia* nempe nomina Declinationis secundæ pentaptota; *Supina*, declinationis quartæ, triptota. Quia qvum dico, *Scribendum est*, est Nominativus; *Scribendi tempus*, Genitivus; *charta scribendo apta*, Dativus; *ad scribendum festinare*, Accusativus; *Scribendo festinare*, Ablativus instrumenti. Ita in Supinis: *Pigitum est*, est Nominativus: *spectatum venio*, Accusativus: *Spectatu dignus*, Ablativus. Rectè sanè. Nec tamen elumbia sunt eorum, qui Verba esse pertendunt, argumenta: præsertim (1) quòd significationem Verborum, activam vel passivam, retinent: (2) Verborum suorum casus regunt: (3) quòd Infinitivorum loco usurpantur, nostrisq; lingvis plerunque per Infitivos reddantur &c. Quid ergò, si dicamus esse utrumque? Nempe *Verba nominescentia?* Turcicæ lingvæ gnari inter ejus elegantias nobis commendant, quòd singularem quendam

Verba

Verba etiam declinandi habeat modum. At hoc alibi quæri quid opus? En habemus in Latinis idem! *Gerundia*, inquam, & *Supina*, *nihil aliud quàm declinata Verba sunt.* Ostendo id. *Bibere Vinum*, annon Verbum & Nomen est? Et tamen æquè verbum, BIBERE, atque nomen, VINUM, declinare possum. Ut enim dico, *Cupidus Vini*, ita *Cupidus bibendi.* Ut, *Inebriatus Vino*, ita *Inebriatus bibendo.* Ut, *Festinare ad Vinum*, ita *festinare ad bibendum* &c. Svademus ergò in ipsa Conjugatione ipsis relinqui locum: ut formationem cujusq;nemo non hîc didicisse possit: usum verò pleniùs discet, tùm in Participiorum formatura; tùm in Phrasium structura. Supinum sanè habet locũ illustrẽ, in ipso Infinitivo futuri: Gerundio verò natalis quidem sedes est sub finem Indicativi præsentis. (Nascuntur quippe à tertia plurali,mutato *-t* in *-do,-di,-dum*; ut *Aman-t,-do*, *Docen-t,-do*; *Legun-t,-do*; *Audiun-t,-do.* Quamvis in tertia & quarta usitatiùs nunc *U*, mutatur in *e*: *Legendo*, *Audiendo*, pro, *Legundo*, *Audiundo.*): in Conjugandi tamen exercitio optimum videtur factu, ut Gerundium in *-do* jungatur Infinitivo præsenti, atque sic cum illo conjugationem ordiatur. Id autem ideò, ut sensu & usu Infinitivum esse pateat. Commodè id poterit: primò, quia Gerundium in *-do*, sensu bono jungi potest Infinitivo perpetuò: (*Facere faciendo*, *Pati patiendo* &c). Deinde, quia Imperativo & Indicativo mox patefacit viam, præsertim in tertia Conjugatione.

Ad § 313.

Agnosco Vossium rectè observasse, circumloqvutionem Infinitivi per *Supinum*, & Verbum *Ire*, præsentis potiùs significationem habere, quàm futuri. Et tamen eam loco Infinitivi futuri retineo. *Primùm*, quia

quia futuri notionem intervenire fatetur Vossius. (Cùm dico: *Ire cœnatum* (inquit) in *eundo* significatio est præsentis, *cœnatio* tamen intelligitur *futura*). *Deinde*, Infinitivus Passivus futuri non aliter unqvam exprimitur, quàm per *Supinum*, & Verbum *iri*. Harmonicum ergò quid erit in discentium conceptu, si eandem periphrasin videant, in Activo & Passivo. Nè tamen in errorem prolapsio sit, monemus (ibidem Observ. 2.) tutiùs adhiberi periphrasin alteram, cùm procedat ubique.

Spero te { Cænare. Cænavisse. Cænaturum esse.

Moneatur verò simul, priscis hæc, in-*urum esse*, eodem modo usurpari solita, sicut in-*um esse*, de omnibus personis, in utroque numero & genere. Ut: Non putavi, hoc *eam facturum* (Laborius). Credo ego *inimicos meos dicturum* (C Grach.). Aruspices dixerunt, *omnia* ex sententia *processurum* (Valer. Ant.) Plura exempla videri apud Bangium possunt.

Ad §. *320*, & *321*.

Verbi Conjugationem ab Infinitivo ordiri rectè svasit *Priscianus*, dissentiente licèt *Vossio*. Melior etenim est Prisciani ratio, à generalitate Infinitivi desumta. Sed & ratio Vossij, de imperfectione illius modi, pro nobis facit: quia natura & ars ab imperfectis incipiunt, desinunt in perfectis. Alij urgent, quòd Infinitivus non contineat thema, terminatione suâ (*-re* vel-*ri*) auctus. Sed nec Indicativi ulla persona nudum thema est, quælibet characteristicam suam terminationem secum habet: sic ergò nusquàm inciperemus. Nobis præter Prisciani generalitatem, & Vossij imperfectionem, ratio non una est, cur Infinitivum in fronte lo-

camus

camus, januamq; in omnem Conjugationem facimus. Nempe.

1. *Infinitivus Conjugationis characterem perpetuò secum fert*, qui in modo Indicativo tertiæ & quartæ Conjugationis confunditur. Præcedat ergò tam fidus viæ dux.

2. *Conjugaturo Verbum, necessariò sunt præcognoscenda Cardinalia tempora:* quia reliquorum terminatio ab his pendet. Quomodo autem præcognoscentur, si pòst demùm, & quidem hincinde disjecta, se offerent? Annon jungi præstat? annon in ipso Conjugationis aditu? quâ nimirum ratione januam transituro clavem in manum damus.

3 *Moralis subest causa*, cur æquè in Lexicis atque hîc Verba Infinitivè proferri conveniat. Nempe quoties Verbum obscænæ alicujus, aut impiæ, actionis occurrit, ingenuis animis non citra pudoris aut scrupuli sensum indicativè enunciari potest (*Mæchor, Stupro, Blasphemo* &c) quia (quod alibi diximus) nullo modo fieri potest, quin mens nostra Verba tractans, Res verbis significatas simul respiciat. Talia igitur in prima persona enunciando, ad se non reflectere non potest. Infinitivè autem ista prolata, quamvis mentem obscænitatis aut impietatis sensu tangant, non tamen in se reflectunt. Quemadmodum igitur actiones subturpes usurpaturi (etiam naturales licitas, quales sunt *Cacáre, Mejere* &c) abscondimus nos; ita pronunciare illas de nobis, vel alijs præsentibus, incivile existimemus.

4. *Præsertim cùm in plerasque Linguas omnia Verba commodiùs trasferantur per Infinitivum*, quàm Indicativum, ubi Pronomen addi necesse est: ut, *Sto*, ich Stehe: Cur non simpliciùs, *Stare*, Stehen?

5. *Tandem, posset Metaphysica subjungi ratio, quòd Potentia (sed Possibilitas) prior sit Actu:* neque possit non præce-

præcedere. Jam autem omnis Indicativus actum ostendit, Infinitivus nudam potentiam: ideoq; nec aliter quàm cum Verbis *Possum, Volo, Debeo* &c, enuntiari potest. Puto igitur undique esse rationabile, ordinem hunc retineri.

Ad § 322.

Proximum ab infinitivo *Imperativus* est, quia simplicissimus. Nam nonnisi unico tempore constat (apud Latinos & Germanos) duabusq; absolvitur Personis.

Tertio loco stet *Indicativus*; quem continuò integrè poni volumus *ante Conjunctivum*, per omnia tempora. *Primùm*, quia quæ separata sunt, confundi non debent, aut confundemus discentes; *præsertim quorum vernacula Lingva Conjunctivum ignorat, ut Orientales, & ex Europeis Slavonicæ omnes, Polonica, Bohemica, reliquæ: Anglica item.* *Conjunctivus* modus quia peculiaris est Græcæ, Latinæ, Germanicæ, & quæ ab his ortæ, stet ergò seorsim: ut solent particularia, generalibus subordinata. *Deinde*, Germanorum quoque (& cæterorum, qui Conjunctivo non destituuntur) interest, seorsim hunc ab Indicativo stare, ut distinctum illius usum, domi etiam, notent faciliùs: cùm Indicativus toto genere differat à Conjunctivo. Quippe hic non sententiæ (ut Indicativus), sed *sententijs duabus in unum copulatis (NB) servit:* quarum prior per Indicativum, posterior per Subjunctivum (interveniente Conjunctione) exprimitur. Ad minimum certè duo Verba conveniunt, quæ se in duas sententias (duo scil. subjecta & duo prædicata) resolvunt. Ex. gr. *Do, ut des: Quæro, an velis: Posset, si vellet* &c. Cujus rei causâ bonum esset Subjunctivi conjugationem nunquam aliter discipulis, quàm cum alio Verbo & particula Conjunctiva,

injungi, sic: *Jubet, ut Veni-am,-as,-at* &c. *Jubebat ut venir-em,-es,-et* &c. *Quærit an vener-im,-is,-it*, &c. *Dixit, si vener-o,-is,-it* &c.

Ad § 324.

Conjugatio Verbi Substantivi, absurdè Conjugationibus alijs postponitur, adeòq; inter anomala rejicitur: quia ut essentia rerum fons est, unde actiones fluunt; ita Verbum hoc essentiale, simplicissimum, & irresolubile, fons & mensura omnium Verborum. Quod iccirco Bibliander *Ostium Sermonis* rectè appellavit. Stet ergò ostium ante illa, in quæ per ostium paratur aditus.

Ad § 349.

Cardinalia secundæ Conjugationis tempora ponuntur,—*eo,-ui,-itum*. Debebat quidem naturaliter *-évi,-étum*; cùm characteristica Conjugationis hujus sit *é* longum. Sed quia tantùm sic definunt *Flevi, Nevi, Plevi, (-étum)*, pleraque autem in*-ui,-itum* faciunt, hoc pro Regula assumendum fuit: ut recedentium inde anomalorum minùs numerosus grex relinquatur.

Ad § 402.

Inchoativa præterito malè spoliari, docet Vossius. Quod ut verum sit de Inchoativis Verbalibus, illorum tamen quæ à Nominibus veniunt(*Lapidescere, Silvescere* &c) præterita ubi sunt? Verbalia igitur Inchoativa præteritum mutuantur à primitivis suis, Nominalia circumscribunt: Calesco, calui; Lapidesco, lapis factus sum, vel in formam lapidis indurui. &c,

Ad § 410. & seqv.

Verba Impersonalia Scaliger & Frischlinus, ut inane

inane Grammaticorum commentum exterminarûnt. Sed cùm reverâ personis primâ & secundâ destituantur, rectè defendit Vossius (lib. III. de Anal. Cap I.) vulgarium simul Grammaticorum detegens errorem, qui Impersonalia Nominativo destitui tradunt, quem tamen semper adesse, expressè aut tacitè, ostendit. Verè enim edest, etiam in passivis, quæ vocant, à Verbis absolutis venientibus: ut *Narratur*, sc. narratio; *Luditur*, sc. lusus. Ergò dum apud Plautum alter quarit, *Quid agitur?* integrè esset, *Quid actionis agitur?* seu, *quæ actio agitur?* demumq; respondet alter, *Statur*; sensus est, *statio statur*. &c.

Ad § 440.

Participia in-*ns*, &-*ndus*, formari ab Imperfecto,-*bam* converso in-*ns* &-*ndus*,omnes tradunt Grammatici. Sed *mihi duo quædam scrupulum injecerunt*. *Primò*, quòd ab-*ibam* non formamus *ins*, sed *iens*: neque in obliquis *intis* vel *ientis*, sed *euntis*. Nec rursùm, à *Malebam Malens*, sed *Mavolens*. *Deinde*, quòd dum non præteritè significant, sed præsenter & futurè, à præterito non satis aptè videntur deduci. *Tandem*, respexi Participia præsentis *Germanica* & *Slavica*, & utrobiq; vidi à tertia plurali præsentis fieri: Sie hören/ der Hörende: Milugj / Milugjcy. Wedau/ Wedaucy / & cætera, sine exceptione. Venit igitur cogitare, annon Latinis etiam potiùs à tertia plurali præsentis, mutato *T* in *S*, & *dus*?

Aman—t, *Docen—t*,
—s, *—s*,
—dus, *—dus*.

Sic: *Vult*, *Volens*; *Mavult*, *mavolens*; *Eunt*, *euntes*, *adeundus*, &c. Obstare videtur tertia & quarta Conjugatio; ubi-*u* mutatur in-*e*; *Legunt*, *Legens*, *Legendus*;

gendus; *Audiunt, audiens, audiendus.* Sed antiquitùs usurpatum fuisse *u*, patet, quia multa adhuc sic usurpantur; *faciundus*, *repetundus*, *oriundus* &c. Cogitandum interim relinquo Grammaticis, annon meliùs consultum videatur, tàm Veritati quàm facilitati, si dicamus, *Participia formari à Gerundijs & Supinis?* à Gerundijs quidem mutando *di* in *s* & *dus*: à Supinis, *m* in *us*, & *ürus*. Gerundia verò doceamus fieri à tertia persona plur. Indicativi præsentis, mutato *t* in *di*, *do*, *dum*: ut, *Amant*, *amando*; *Docent*, *docendo*; *Eunt*, *eundo* &c. Excipe in tertia & quarta Conjugatione ubi mutatur (nunc jam ordinariè) *u* in *e*: *Legunt*, *legendo*; *Audiunt*, *audiendo*.

Ad § 480.

Constanter Grammatici *Syntaxin in Convenientiam & Rectionem dividunt*: quod nos omisimus. *Primùm*, quia illius divisionis nullum potuimus (ad Grammatices obtinendum finem) videre usum: cur igitur inutilia docendo ingenijs augeamus labores? Docere aliquid solenniter, tanquam mysteria subsint, quod in nihilum pòst exeat, ad quid est? *Deinde*, accurato differentiæ illius examine habito, veram non esse deprehendi. Dicunt: *Convenientiam esse, ubi voces in accidentibus quibusdam conveniunt; Regimen, ubi vox una præest, alter inservit, ut quæ nonnisi certo flexionis fine Voci regenti jungatur, idq; eo fine, quem illa exigat.* Sed ex his ipsis verbis evincitur, *Convenientiam Vocum esse nullam, totam Syntaxin esse Rectionem*: quia ubiq; inter Voces combinatas altera est primaria, cui altera inservit, eiq; se certo flexionis fine, quem prior illa exigit, accommodat. Substantivum certè & Adjectivum (de quibus primam ponunt Convenientiæ Regulam) non ideò numero, genere, & casu conveniunt, quòd utriq; illi sic placeat: sed quia Adjectivum (tan-

quam

quam inserviens) Substantivi (tanquam principalis) numerum, genus, & casum, sequi cogatur. Et sic alibi. *Tota igitur Syntaxis revera est Rectio, sive vox regens* (ie. principalis) *rectam trahat suo casu, sive aliò*; æquè ut herus, sive famulum se comitari jubet, sive aliò amandat, imperat.

Ad §. *481.*

In Vocum nexu deprehendi esse Regulas XV. generalissimas, omnibus Linguis communes: à quibus tanquam fontibus suis rivuli emanârunt, & tanquam à Stirpibus rami pullulârunt, cæteræ particulares Regulæ, cum Exceptionibus suis, per omnes Linguas. Cùm ergò Linguarum quoque harmoniam, pulchrum divinæ sapientiæ opus, ab omnibus attendi optem; ut quid commune habeant, & quomodo hæc, illa, ista, recedat, velut uno aspectu cognosci possit, placuit totidem Capitibus totam Phraseologiæ doctrinam includere. Ubi *Regula universalis frontem semper occupat*; *Recessus autem, quos sibi Latinæ Linguæ usus comparavit, Observationum nomine subjunguntur immediatè*, adjunctis simul Vernaculè tùm exemplis, tùm (si opus) præceptiunculis. *Regularum* autem illarum ordo ita se habet.

Quicquid cogitamus, aut
- *de Aliquo*; ubi Nominis apperet usus. Quod insuper explicatur per quæstiones
  - *Quid sit quid*, Hinc Reg. *I.* (Duo nomina de re eadē &c.)
  - *Cujus sit.* Hinc Reg *II*. (Nomina diversæ rei &c.)
  - *Quale sit.* Hinc Reg. *III.* (de Nomine & Adnomine.)
  - *Cuinam tale?* Hinc Reg. *IV.* (de Adnomine cum Dativo.)
  - *Quâ parte*, vel Cur, *tale* Re. V. (de Adnom. cum Ablativo.)

loqui-

loquimur, semper dicimus

Aliquid: ubi Verbi usus spectatur; prolati,

Infinitè. Hinc Reg. *VI*. (de Verbi cum Verbo structura.)

Finitè. Ubi Reg. *VII*. (de Nominativo cum Verbo.)

Determinatè, ad explicandum

(1) *quid res sit, fiat dicatur*. Reg. *VIII*. (de duobus circa Verbum Nomin.)

(2) *cui sit, fiat dicatur?* *IX*. (de Verbo cum Dati.)

(3) *in quid actio eat*. Reg. *X*. (de Verbo activo requirente Accusativum.)

(4) *quô instrumento?* Reg. X*I*. (de Verbo cum Ablt.)

(5) *quomodo actio cum suo agente efferatur?* ubi Re. *XII*. (de Participij structura.)

Aliquomodo. Ubi particularum usus spectatur in explicando

An, Ubi, Quando, Quomodo &c aliquid fiat. Ubi Reg. *XIII*. (de Adverbij structura.)

Circumstantias, seu respectus, rerum & actionum ad invicem. Reg. *XIV*. de Præpos. structura.

Juncturas rerum & actionum. Ubi Re. *XV*. (de Conjunctionum structura.)

Ad § 482.

Ellipſes in Latino ſermone frequentiſſimæ ſunt; Germanorum ſermo vix ullis utitur. Quod facit ut horum ſtilus concilus eſſe (hoc quidem artificio) nequeat: penſatur tamen id compoſitorum felicitate adeò, ut aliquando ſat breves Germanorum voces non niſi periphraſi, aut certè voce Græcâ, à Latinis exprimi valeant. Moneantur id diſcipuli, quoties Ellipſeos (ſub qualibet generali Regula) redibit mentio.

Ad Cap. XXXIX. § 557.

Regulam vulgarem *Verbum Perſonale finitum habet ante ſe Nominativum, ſimili numero & perſonâ*, tranſtulimus à Verbo ad Nomen; & veritate rei coacti, & melioris doctrinæ causâ. Non enim Nominativus pendetà Verbo, aut ſe illi accommodat, ſed contrà: quemadmodum Res non pendet, aut fluit, à ſua actione, ſed actio ab illa. *Deindè*, quærimus nos ſermonis Regulas tam univerſales, ut ad illas quarumvis Lingvarum exempla & exceptiones reduci queant facilè. Quia igitur *Græcis Nominativus pluralis generis neutri adſciſcit Verbum ſingulare*, tortura erit, Exceptionem hanc referre velle ad Regulam de Verbo; facillimè referetur, Regulâ de Nomine conſtitutâ. Nec eandem exceptionem aliter Grammatici Græci efferunt (quia non poſſunt) quàm ſic: *Neutro tamen plurali Verbum additur ſingulare.* Ecce ſubjectum hîc Regulæ (& Exceptionis) conſtituitur Nomen, non Verbum! Sit igitur.

Ad Cap. XLIV. § 609.

De *Refert* & *Intereſt*, quàm eruditè differuerit, more ſuo, Voſſius (lib. VII, Cap. XXIX.) non ignoramus

mus: ab omnibus tamen quas ibi recenset, sententiis, sua etiam, recedendo, Stephanum Ritterum sequimur, & verba illa duo, *Refferi* & *Interest*, per *Res fert*, & *In re est*, explicamus. Id autem non tantùm doctrinæ causâ, (quia sic facilè usum horum verborum percipiunt discipuli); sed quia hanc reverâ Vocum illarum, & Syntaxeos, originem esse existamamus. Et in *Refert* quidem id apertum videtur ex eo, quod *Re*, naturâ suâ breve (quando præpositio inseparabilis est) hîc (in Refert) producitur. Id enim unde, nisi *à crasi* esse potest? Et crasis quæ, nisi ex *Resfert*, Reffert (ut dif-fero, pro dis-fero)? Ita enim *f* geminatum dat positionem, quæ longa est: licet autem per *f* simplex scribatur, syllabæ tamen quantitas remanet. Obstare videtur, quòd *nostra* Terentius produxit: eoq; non esse Nominativus, sed Ablativus, evinci videatur. Quid autem si respondeamus (quod ibidem *Vossius*) *primævam Vocum indolem non semper retineri?* Sed & hoc. Apud Terentium ellipsis est: *Quid id nostra?* scilicet *refert*, aut *interest*. Quod si posterius suppleмus, Ablativus utique erit (*nostra interest*, i. e. *nostra in re est*. (Quicquid sit: subtiliora sunt Vossiana, planiora nostra: convenientiora illa eruditè philosophantibus; hæc rudioribus, de Vocum vi quàm simplicissimè informandis.

Ad §. 635.

Inter Præpositiones utriusque Casûs Grammatici referebant *Procul* etiam. Sed error detectus est à Clarissimo Vossio, *libro de Analogia IV, Cap. XXII*: ortus scil. ex corruptis tribus *Livij*, *Plinii*, & *Curtij*, locis. Sed hos postquam Exemplaria castigata jam sustulerunt, in Grammaticis cur toleremus? Quanquam ne *Præpositionem* quidem esse naturâ suâ, sed *Adverbium*, idem ostendit: quia tamen tam frequenter Adjectivo jungitur, maneat, *Verbo junctum esse Adverbium*, *Ablativo junctum esse Præpositionem Ablativi*.

Ad § 502.

Geminus talis Genitivus ejusdem numeri & declinationis ingratus est: ut quod Cicero habet, *Speusippus sororis Platonis filius.* Et Gellius, *Bubo in columna ædis Jovis* (conspectus fuit.) At si Genitivi numero, vel declinatione, discrepent, suaviter sonant, ut: Non alia fuit *causa intermissionis literarum.* Quæ *spes adventûs fratris?* &c.

Ad § 654.

Monuerunt quidam Grammatici, *Omnes partes Orationis regere Casus, exceptâ Conjunctione:* sed non monuerunt, cur id fiat. Nempe *quia Conjunctiones propriè inserviunt, non Vocibus jungendis, sed Sententiis;* etiamsi Verba Verbis annectere videantur, & annectant. Plena igitur Conjunctionum doctrina ad Structuras Sententiæ differenda est: hîc generalia duntaxat, & quatenus Verba connecti videntur, posuimus.

Ad § 682.

Observaturus Sententiarum compositarum differentias, percurri Stevechium (*de Particulis Linguæ Latinæ*) totum, deprehendiq; eum non ubiq; per artus veros sententiarum membra resolvere. Ut hîc, *Ne, Anne, Annon*, dicit *absolutè posita elegantiam habere non vulgarem:* apponitq; exempla (1) ex Cicerone: *Hæc nescio rectè ne sint literis commissa.* (2) ex Terentio: *Rogitando obtundit, sanus (ne) sim, ánne insaniam.* (3) ex eodem: *Dicam huic, annon?* Quæ omnia quomodo absolutè usurpari dici queant, non video: cùm singulis illis locis singulæ istæ particulæ interrogationis compositæ, & dubitationis, essentiale vinculum sint. Eô id monere volui, ut num ad rectiùs intelligendum Sententiarum structuras, plus aliquanto bonæ occasionis ferant partitiones nostræ, judicari queant.

Ad § 748.

Equidem in Januali Textu artificij Periodici exempla adeò exquisita constitui non potuerunt, ubi simplices rerum expressiones perpetuò observari, eòq; verba presè condensari, necesse habuerunt: nec Periodicæ doctrinæ aliud quàm rudimenta ad Grammaticam spectant, perfectio ipsa Oratoriæ pars est. Fecimus tamen, ut quæ de Periodi structura præcipit Grammatica nostra, illustrari queant exemplis è Textu nostro, qualiterqualiter.

Ad § 759.

In crebra, aut saltem aliquousque continuata, Periodorum analysi plena Linguæ cognitio latet. Non pœnitendum itaque operæ pretium fuerit, si *resolvendi Periodos Januæ* simile instituatur *exercitium*, non tam futurum laboriosum quàm jucundum, & ad intelligendam Sententiarum compositarum doctrinam, legendosq; dehinc promptè & cum judicio Authores, supra quàm dici potest utile.

Ad § 767.

Prosodiæ vocem, ac præcepta, ad Syllabas restringi Grammaticorum usus obtinuit: *nos ad omnes Orationis partes extendimus.* Quæritur, *Ad id liceat?* Respondet Bremensium Grammatica: *Prosodia per universam Grammaticam est diffusa, sicut & Orthographia.* Si est, ostendatur ergò discipulis, quomodo sit diffusa. Vossius autem dicit: *Prosodia versatur circa omne illud, quod accentu præditum est.* (Lib. II. Cap. 1.) At Accentum habent Verba potiùs, quàm Syllabæ. Tum & Sententiæ, annon proferuntur accentu alio Interrogativæ, alio Responsivæ, alio Exclamativæ? &c. Quod aut docendum est in Grammatica, aut silendum. Silemus?

lemus? negligimus rem adeò necessariam. Docemus? ubi ergò nisi hìc simul? Ita Hebræorum Prosodia non tantùm Accentus docet in Verbis singulis, sed ad distingvenda Commata, Cola, Periodos, adhibetur. Nihil proin absurdi, si imitamur: facimus enim quod non pridem esse factum Verulamius miratur, dum inquit: *Accentus Verborum exquisitè, Accentus autem Sententiarum neutiquam, in observationem venit. Attamen illud ferè universo Generi humano commune est, ut vocem in fine Periodi submittant, in Interrogatione elevent, & alia hujusmodi non pauca.* Cùm igitur Artium præcepta esse plena conveniat, etiam hìc explendus fuit hiatus.

Ad § 780. & seqq.

Non satis nunc nos veram antiquorum pronuntiationem nosse, verum est: cùm quælibet ferè gens in Latinis quædam pronunciet ab aliis diversè, nec sibi errare videatur. Veri tamen est simile, antiquos non aliter pronuntiasse ac scripsisse: illosq; cæteris meliùs nunc pronuntiare, qui nihil aliter ac scribitur pronuntiant: quemadmodum & demonstrant Antiquitatum magistri. Unum hìc ad partes vocabo, magnum Vossium: qui Lib. I. Cap. XXVIII ita scribit: *In potestate literarum peccatur* (hodie) *multifariam. B proferunt Germani ut P. Vascones ut V.* Mox: *Spissus etiam error est, quòd hodie C ante E, I, Æ, OE, aliter sonat quàm ante A, O, U,* &c. *Falsum item literæ S tribuimus sonum ante C & P, ut in Scopus, Spiritus*, &c. *Par error, cùm T aliter pronunciamus ante I, cùm altera Vocalis sequitur, quàm alibi.*

Ad § 783.

Monet Vossius (Lib. II. Cap. IV.) Valdè vitiosam esse vulgarem Diphthongorum pronuntiationem,

apud Græcos & Latinos. Et apud hos quidem vitiosè proferri, illud jubet esse argumento, quòd olim Æ accedebat ad AI: unde quod priùs *Terrai frugiferai*, id postea fuit *Terræ frugiferæ*.

Ad § 788.

Vossius de corruptissima Germanorum consonæ V pronuntiatione, sic disserit (Cap. XXIV) *Aliter F, aliter V sonare, argumento sunt Voces, in quibus utraque concurrit, ut Vafer, Faveo, Fovea, Fulvius & similes. (Si n. eadem esset vis utriusque, ineptè diversos adhiberemus characteres: Scribendum esset, Fafer, Fafeo, Fofea,* &c, *aut rursum, Vaver, Vaveo, Vovea,* &c.) *Olimq;* (Latini) *V efferebant ut nunc Germani duplex VV. Nempe pronunciabant VVinum, VVallum, VVidua, VVacillare.* &c *Unde nostrum* (Belgicum) *VVyn, VValle, VVidwe, VVaggelen* &c. Rursumque Capite XXVI. *Non eum esse sonum in* Φα, *qui est in Va, indicat, quòd Æoles, cùm* Φ *haberent, tamen* Ϝ, *sive digamma, quæsierint. VAll g cùm ejusdem credunt esse potestatis ac F,* (Germani scilicet) *fallit eos vulgaris corruptusq; litera ejus sonus, cùm pronunciari debeat ut apud nos* (Belgas) *duplex V V. Quod multis comprobarem, nisi sufficere putarem, quæ hac de re ad Eusebium scripsit Scaliger, & libro de Latinæ Linguæ pronuntiatione Lipsius.* Hactenus ille.

Quia v. dedocenda omninò sunt ratione, quæ sine ratione invaluerunt: placet Vossianis rationibus (invictis sanè) subjungere alias, quæ fortè ut faciliùs tandem agnoscatur error, efficiant Tam n radicatus est, ut plerique Germanorum illum aut non videant. aut etiam defensare attententent: medium quendam inter W & F fingendo sonum, nempe V / qui revera nullus est. Audentq; scribere quidam, VV esse literam Germanorum propriam; cùm sit communissima omnibus

bus, quas novimus, Lingvis. Ut ergò agnoſcant facilius, hæc illis conſideranda damus.

1. *Utrùm ſit veriſimilius, Unámne Nationem à legitima, Latinæ alicujus literæ pronuntiatione aberrare potuiſſe, an omnes cæteras ſimul?* In confeſſo n. eſt, Omnes Europæas gentes Latinorum *V* molliſſimo labialium ſono pronuntiare, Germanosq; duriſſimo pronuntiantes, mirari, aut etiam ridere.

2 *Utrûm agnoſcant ſuas voces*, Wall / Wann / Wein / Wahr / Wille / Weh / Wo / Wittwe / Wind / Wolle / Waten / Wüſt / Wol / &c, à Latinis mutuaſſe majores ſuos? (Nempe à *Vallum, Vannus, Vinum, Verus, Velle, Væ, Quô, Vidua, Ventus, Vellus, Vadare, Vaſtus, Volo* &c. Si agnoſcunt, agnoſcant ergo aut majores aberraſſe Orthographiâ, (quòd non ſic exprimerent, Vall/ Vann/ Vein/ Vahr/ Ville/ Veh/ Vo/ Vittve/ Vind &c) aut ſe aberrare proſodiâ, quòd non Latina illa æquè molliter pronuntiant, ſicut ſua, *VVallum, VVanus, VVinum* &c, ſed *Fallum, Fannus, Finum, Fæ, Fidua* &c.

3. *Utrùm præſtet ſono etiam Vocum ſignificationes eſſe diſtinctas?* Confunduntur a. illorum pronuntiatione tot voces; *Fagus* & *Vagus*; *Fas* & *Vas*; *Faſtus* & *Vaſtus*; *Ferus* & *Verus*; *Fel* & *Vel*; *Fer* & *Ver*; *Fallis* & *Vallis*; *Fœnum* & *Venum*; *Invectus* & *Infectus*; *Ficus* & *Vicus*; *Vide* & *Fide*; & alia infinita. Cur malunt diſcipulis in Schola dictando, & *Vultus* per *V*, *Fultus* per *F*, *ſcribite*, monendo, confuſionem toties fateri, quàm emendare ſemel?

4. *Annon melior in Lingvis etiam conſonantia videatur, quàm diſſonantia?* Eſt a. omni rationi conſonum, Hebræorum *Vau*, & Grœcorum (Æolum) *Digamma*, & Latinum *Va*, & Germanorum We / & Polonorum Wu/ & Bohemorum Vw/ unam eãdemq; eſſe literam. Quod cùm nõ attenderent ſuperiori barbaro ævo Germaniâ

mani, inutiliter ſibi novam conſonam, V/ adjecerunt; quam nullâ ratione ut F pronunciando, erroremq; in Latinum *V* transferendo, confuſionem augent. Nam ſi durior pronuntiatio placet, quidnî & ſcriptio? Fater/ Fon/ &c, quemadmodum in quibusdam indifferenter uſurpari apparet (Vor vel Für / der Fördere vel Vördere; &c.) Quod ſi mutari non poteſt, ſaltem in Latinis malè inolitam pronunciationem pravam emendent, cùm emendatu tam facilis ſit. Cur n. non ſit? cùm, eundem genuinum mollem ſonum tam ſæpè (in Vocibus lingvæ ſuæ, ubi W ſcribitur) rectiſſimè pronuncient?

5. Cogitènt etiam, an propter vulgares exoticas (Gallicam præſertim & Italicam) meliùs pôſt addiſcendas & pronunciandas (ne gentibus illis, *Afus* pro *Avous* &c, pronunciando, deridiculo ſint) hunc erroris fontem (vitioſam Latini *V* pronuntiationem) non domi obſtruendum putent? Quod ſi faciendum eſt, hîc optima illius rei, inter Latinitatis tirocinia, occaſio.

6. Quòd quidam Hebræorum *Vau* ut Faf pronuntiari allegant, errorem errore defendunt. Arabibus n. hunc uſque in diem *Vaw* pronunciatur: evidenti conſonantiæ illius, de qua modò loqvuti ſumus, argumento.

Ut ergò faciliùs Germani pueri vitium & videant & vitent, detur illis legenda, accuratè pronuncianda, memoriterq; ediſcenda Veſtibularis Grammaticæ Capiti primo ſubnexa (in addito illi Informatorio) Tabella.

Interim cogitabit ſapiens Frugiferorum ſocietas, annon inolitæ confuſioni remedium in promptu ſit: ſi eliminatâ ex Alphabeto vernaculo ſuperfluâ literâ V, omnia ejus per F ſcribi jubeantur: Fater / Fogel / Foll / Fiehe &c.

Ad

Ad § 815.

Quid n. ad Grammaticum, ſcire primæ & ultimæ in *Do-mi-nus* quantitatem? nihil prorſus. Id ſcire Poëtam neceſſe eſt. Ne ergò impertinentia hîc agamus, ſilentio tranſimus.

Ad § 818.

Utile ſanè foret Latinas quoque Voces expreſſo Accentu notari, ad faciliùs vitandas tot pronuntiationis corruptelas, dicam & ambiguitates: cùm aliud ſit *Párere*, aliud *Parére*: aliud *Vénimus*, aliud *Venímus*: aliud Gébet/ aliud Gebét/ &c. Adminimum certè Scholaſtici libelli ut accentibus notentur, ſalutare foret diſcentibus; præſertim earum gentium, quarum lingva hîc à Latinæ conſvetudine recedit. Nec enim Germanis de Accentu Latino tam operosè regulas præſcribi opus eſt, atque Polonis, Bohemis, Hungaris: quia naturaliter rectiùs pronuntiant. Id autem ex eo fundamento, quòd in ſua lingva, Latinis ſimiliter (1) *Omnem Vocem accentant* (2) *In diſyllabis accentum in priore* (paucis exceptis) *locant.* (3) *In polyſyllabis autem penultimam vel antepenultimam producunt.* Idem igitur in Latinis fieri, monuiſſe ſatis eſt: quia conſvetudine nativâ in contrarium non nitente, peccari adeò non poteſt. At verò cæteris illis, quorum conſvetudo longè hîc recedit, operosè Accentuum doctrinam inculcari (ſi Accentus non expreſſè ſcribantur) neceſſe eſt: nec tamen rurſum eôdem modo illis omnibus, quia non eodem modô à Latinis recedunt. Nam Poloni, quia domi accentum nullum habent (eo ſenſu quô jam uſurpamus, & § 817 dictum eſt: ſyllabas ſcilicet Vocum ſuarum elevant tantùm aut reprimunt, non etiam producunt aut corripiunt) imitantur idem in Latinis, Vocesq; ſine Accentu proferunt: aut ſi imitari alios, Vocesq; accentare tentant, ſit ut res plerunque infe-

infeliciter cedat. Nempe ut Latinam pronuntiationem corrumpant, aut certe corrumpere putentur: dum syllabas non producendo corripere, aut non corripiendo producere, videntur.

Bohemi autem quia Voces habent permultas accentu nullo proferendas, etiam polysyllabas (ut Milowati / *amare*) alias rursum bino, trino, quaterno, accentu (ut Milowánj / *amatio*: Zastáwánj / *defensio*: býwáwánj / frequens alicubi præsentia): mixtas item, accentum jam in ultima, jam in penultima, jam antepenultima &c habentes: ut difficile sit Latinos accentus non corrumpi. Hungari denique, quia ubi Accentum vident in radice, eundem retinent in derivatis & compositis: fit ut pronuntiationem depravent. Nempe quia dici audiunt *Próbus*, dicunt etiam *Imprǒbus*: quia *ěram*, etiam *fuěram*, *fuěrāmus*, *ěrāmus* &c. Monendi ergò hi sunt, Accentum (in Latinis) non retineri semper in eadem Syllaba, sed variare, deq; ea re observandas Regulas. Sed compendium profectò foret, & adversus corruptelarum metum præmunimen certissimum, Accentuum notas Vocibus expressè superponi. Qualiter in Hebræa lingva (cùm vernacula esse defineret) fecerunt *Masorethæ*, tenoris notas commenti. (*Nec n. priùs, qui à pueris Hebraicè scirent, indigebant accentuum notis*, inquit Vossius) Nos ergò, qui à pueris Latina nescimus, indigemus accentuum notis.

Ad § 818.

Ita Grammaticorum lex & usus obtinuit. Sed dissentit Scaliegr, I de causis LL c. 4 ita differens *Quemadmodum loquimur, ita scribere debemus. Scribendum itaque Ab-domen Ig-nis, Om-nis, Pis-cis, Nos-ter, Ap-tus, San-ctus, Op-to, Teg-men, Ag-men: quando communis loquendi modus planè reprobaverit hanc pronuntiatio-*

tiationem, O-mnis, O-pto, I-gris. Namneq; sufficiens ratio est, literas quæ initio conjungi possunt, eas etiam in medio copulandas: partim qvum pleraque, quorum initiales sunt, Ed, Pt, Mn, Sm, sint peregrina: partim qvum pronuntiatio planè sit inepta & ridicula, E-ra-smus. &c &c. Elegantiæ tamen pigendi aliquid condonare possumus: ut No-ster, A-ptus. Hæc ille: cui adstipulatur Bangius. Et sanè optem id recipi; faciliorem haberemus Syllabizandi (quam vocant) rationem.

Ad § 829.

Ex hoc fundamento Germani Syllabizationem ejusmodi, ut radicales semper maneant indivulsæ, quidquid autem accedit peculiarem constituat syllabam, incipiunt: sic, All-e / All-es / All-ein &c Quod nos in Lexici Latini structura imitamur, *Lign--um--ejus—ator* &c.

Conclusio.

QVum descriptam typis Grammaticam hanc nostram obtulissem, censuræ causa, amicis, quibus nondum visa fuit; tria improbatum iri ominati sunt. Primò. *Prolixitatem.* Secundò *Methodi nimiam mutationem, Terminorumq; novitatem.* *Eóq;* tertiò, *praxeos difficultatem.*

Quantum ad Prolixitatem, displicere illa ipsi mihi quoque pridem cœpit: Ut Annotationum introitu, § 10. fassus sum. Sed subesse tamen prolixitudini huic boni quiddam, confido: nempe ut diutiùs his immorando discipuli, pleniùs artem imbibere habeant necesse. Quã enim artem? Quam *plus habere in recessu quam in fronte promittat*, verissimè pronunciavit Fabius. Et *quæ nisi Oratori futuro* (quidnî generaliùs, cuivis Erudito futuro?) *fundamenta fideliter jecerit, quicquid superstruxeris corruet: necessaria pueris, jucunda senibus, dulcis se-*

gretorum comes, & *quæ vel sola omni studiorum genere, plus habet operis, quàm ostentationis.* Quum ergò nobis hoc in studio scopus sit, occupare juventutem ita, ut occupari suo bono necesse habeat: cur longiuscula hæc esse, eosq; diutulè in his detineri, formidemus? Quid interim quod utiliùs agant habent? An eos de arte, quæ ceteris omnibus, eoq; ipsis sapientiæ studijs, viam munit, obiter tantùm, tanquam de Nilo canem, bibere volumus? Præcipitantia ubiq; noxia est, maximè tamen circa rerum initia: usq; adeò, ut nescio an benè in juventutem consulamus, illis ab initio statim nimiam facilitatem & compendia promittendo: unde illi nihil nisi perfunctorias operas, levesq; saltus, imaginando, leviter quoq; ipsa fundamentalia transsilire, & innatâ humanæ menti majorum aviditate, ad fastigia tantùm festinare, eòq, inruinam struere, impetum accipiant. Sit ergò potiùs lentum, licet prolixum, quod universæ Eruditioni fundamenta ponit.

At videntur hæc nimis accurata! Videantur: Debent enim esse. Pueros quidem formamus, sed ad virilitatem. Circa Voces erudimus, sed ut Rebus pares evadant. Grammaticam tradimus, sed quæ præludat Logicæ, Rhetoricæ, ipsisq; realibus Scientijs. An enim ita pueros, ut semper maneant pueri, formare volumus? Atqui ad altiora promovendi sunt: promoveantur igitur, dummodò rationibus illorū captui accommodatis.

Sed nimis recessum est à receptis: novatio hæc ingrata est, aut etiam suspecta, non admittetur facilè. Respondeo: Artium terminis, artibusq; ipsis, utendum est non ut compedibus, manicisve, quas exuere non liceat; sed ut operandi instrumentis. Quorum si quod incurvum, hebes, vacillans, operi producendo insufficiens, esse deprehendatur, offeraturq; aliud commodius, illud seponere, hoc arripere, quidnî liceat? quis unquam ob id alicui litem movit? Gratulamur potiùs, aliquem sic

operari

operari expeditiùs conſpicati. Et puſioni ſuo ſi quis ſerperaſtra quærat, offeranturq; conſtructa aliâ, quàm ſibi prænotâ, formâ, num ideò recuſabit? præſertim ſi commodiorem puero præſtent uſum. Grammaticæ autem præcepta quid niſi *Linguæ ſerperaſtra* ſunt? Parùm animoſus eſt, qvi Verba timet. Tum & hoc cogitandum: *parari hæc diſcipulis novæ Methodi, à præconceptione puris, qvibus* gradatim ita ductis omnia hæc plana erunt, ſalebrarum & offenſæ non facilè occurret aliqvid: & qvi qvantô *faciliùs myſteria Philologica influere ſibi ſentient, tantò ſvavius afficientur* Horum itaq; potiſſima nobis habenda fuit ratio. Qvantum ad eos, qvi alia didicerunt Præcepta, eoq; his noſtris in ignotos quosdam ſcopulos impelli videantur: ijs nos non ſcribimus. Aut certè diſcant ipſi qvoq; mente liberâ circa res verſari, & judicium à præjudicio liberare. Liberè hic Voſſij illud uſurpabo: *Non hæc ſcribuntur illis, qvi, qvod dicitur, adhuc inter apia verſantur: ſed qvi jam idonei videntur, qvi de magiſtris judicium ferant* (de Analogia lib I. Cap XIX) Et vulgatum illud: *In nulla unqvam diſciplina qvidqvam bonæ frugis faciet, qvi non eo usq; aſpirare audet ut de magiſtris qvoq; ſuis aliqvando judicare poſſit.* Ut taceam (ſi ambitioſum videtur) illud, qvod Scioppius Grammaticæ ſuæ novæ præfixit: *ſcriptum eſſe pro Magiſtris & tironibus, ut Magiſtri tirones, & Tirones magiſtri, fiant.*

Unde ad Difficultatem, qvam metuunt, reſpondeo: *Tametſi fortè Pædagogis, aliâ methodo docere aſſvetis, ad hæc refingi difficile ſit; experiri tamen, num Diſcipuli hâc viâ facilius effingi Grammatici, melioresq; poſſint, difficile eſſe nemini poterit*, cui modò ductum noſtrum ſeqvi, omnemq; operationem diſcipulis ipſis permittere (ſub attentione debita) libuerit.

Interim tamen agnoſco lubens, nondum talia eſſe noſtra hæc, qvalia votis concepimus, & ideis expreſſi-

mus : ſed qvalia ſub manu noſtra, qvi alijs' qvoq; diſtinemur, naſci potuerunt. Nec unius hominis eſt, nedum unius ſexennij, omnes aliqvot ſeculorum errores corrigere. Continuènt tamen Viri induſtrij ; & qvâ qvis parte poteſt, voto, voce, manu, juvet. Rogavi ego (in Annotationum harum Introitu § 10.) ſi Clariſſ. D. Voſſius nobis dare poſſet Grammaticam brevem, eamq; ſimul abſolutam, ut ne id detractaret. At hunc interea fatis deceſſiſſe fama fert : audebimusne igitur à paternæ Eruditionis hærede ſperare idem ? Utinam !

Qvicqvid ejus fuerit, ego propono editione horum ſecundâ ξυν Θεῷ, emendatiora dare omnia. Grammaticæ nimirum ſyſtema duplô compendioſius, lucidioràq; t&| praxi fluidiora omnia : ut vel tandem, tandem, tandem obtineamus qvod ſperamus (& optavimus Methodi LL. Cap. XV. § 45.) *ut Grammatica non tortura ſit ingenijs, & crux ; ſed ludus, & ad altiora feſtinantibus jucundè prælucens fax & lux.* Id enim qvomodo obtineri poſſit verè, demùm videre videor verè. Valete interim, lectores optimi.

Ianu.
&
Ling.
Gram
Comoe
nü
L. P.